


P. MELCHIOR A POBLADURA, O. M. CAP.

DE VITA ET SCRIPTIS P. MARII FABIANI
A FORO SARSINIO, O. M. CAP.

Extractum

ex « *Collectanea Franciscana* »


Tom. VI — 1936 — Fasc. 4



ASSISII

Collegium S. Laurentii a Brundusio

Fr. Minorum Capuccinorum



P. MELCHIOR A POBLADURA, O. M. CAP.

DE VITA ET SCRIPTIS P. MARII FABIANI
A FORO SARSINIO, O. M. CAP.

*P. Maximiano confratri
P. Kaverio Vallisoleto
Auctor*

Extractum

ex « *Collectanea Franciscana* »

Tom. VI — 1936 — Fasc. 4

42-7-9

ASSISII

Collegium S. Laurentii a Brundisic
Fr. Minorum Capuccinorum

DE VITA ET SCRIPTIS P. MARI FABIANI A FORO SARSINIO, O. M. CAP.

Antequam opera historica P. Marii critice edamus, opportunum visum est per ephemerides hanc dissertationem diffundere, ut si quis de hac re posteriores notitias habet, notas facere velit sicque editio critica quae paratur perfectior evadet. Documentis igitur fide dignis innixi in capitulo primo nostrae dissertationis vitam et gesta P. Marii accurate perstringere conabimur. Dein sequitur caput secundum in quo examen instituitur de scriptis eius tam editis quam ineditis. Tandem momentum historicum eorum quae in triplici Relatione de origine Ordinis Min. Capucinarum refert, in capite tertio discutitur.

I. - DE VITA ET GESTIS P. MARI FABIANI (1)

Fori Sarsinii (Mercato Saraceno), « ex quo loco veluti ex equo

(1) Invat praecipuos huius biographiae fontes summatim haec referre:

- Descrizione* == MARIO FABIANI DA MERCATOSARACENO, *Delle origini dei Frati Min. Cappuccini, Descrizione seconda* inedita publicata dal P. GIUSEPPE DA FERMO, Ancona, 1927.
- Cod. Venet.* == *Narratione dell'origine della congregazione de' frati Cappuccini.* Composta dal Molto R.do Padre Fra MARIO DA MERCATO SARACINO. Hanc tertiam *Relationem* adhibemus secundum *codicem Venetum* infra describendum.
- Annales* == *Annalium seu sacrarum historiarum Ord. Min. S. Francisci qui Capucini nuncupantur*, auctore ZACHARIA BOVERIO..., t. I, Lugduni, 1632 et t. II, Lugduni, 1639. Documenta e quibus notitias hausit indicantur in *Indice rerum et auctorum: Manuscripta Prov. Picenae et Bononiae*.
- Leggendario* == *Leggendario Cappuccino ovvero vite di persone per virtù e pietà illustri della serafica Religione Cappuccina.* Raccolte e distribuite... dal P. GABRIELE DA MODIGLIANA... e proseguite dal P. BONAVENTURA DA IMOLA, t. V, Faenza, 1788.
- Ragguaglio* == *Ragguaglio istorico della vita, morte, virtù ed azioni illustri del Servo di Dio Padre Mario de' Fabiani uno dei Primi Generali della serafica Religione di S. Francesco dei Padri Cappuccini.* Auctor JOSEPHUS DIOTALLEVI FABIANI, innixus *Annalibus* Boverii atque memoriis localibus, hoc opus conscripsit an. 1730 et servatur ineditum in *Archivo parochiali* Fori Sarsinii; mm. 200:285, 49 pp.
- Specchio* == *Specchio della vita del Padre Mario Cappuccino da Mercato Saraceno.* Hoc epitome quod in eodem archivo manuscriptum custoditur (mm. 200:280, 46 ff.) exscriptum est an. 1797 ss. a FRANCISCO

Troiano solent prodire viri ornati et virtutibus clari » (1), natus est P. Marius ex nobili familia Fabiani, patre scil. Baptista duce militiarum et matre Antonia ex comitibus Fuccioli Tipherni in Umbria. In fonte baptismali Andreas appellatus est (2). Annus nativitatis incertus usque nunc mansit. Alii an. 1501 assignant (3), alii e contra an. 1511, omnes forsitan hac sola ratione ducti quia historiographi Ordinis dicunt Marium obiisse octogenarium vel septuagenarium anno 1581. Nos vero asserere non dubitamus eum an. 1512-1513 natum esse. Ecquidem hoc datum apprime subsequenti chronologiae respondet et ab ipso Mario indicatur. Dum *Tertiam Relationem* Marius scribebat de origine Capuccinorum, i. e. an. 1580, testatur septimum supra sexagesimum aetatis annum agere (4). Rediens Matthaëus a Bascio ex itinere romano (1525) verbum Dei in regione Montis Feltrii nuntiabat, eiusque praedicationes Marius adhuc puer audivit (5). Immo an. 1526 in scholas Forisempronii conveniebat ibique vocationis F. Bernardi (Girolamo Scurzolo) testis ocularis fuit (6).

Inter sodales Ordinis S. Augustini philosophicis ac theologis studiis vacavit vitaeque religiosae tyrocinia posuit, sed an. 1539-1540 Ordini Minorum Capuccinorum Camerini cooptatur. In hoc quoque a communi discedimus sententia (7). Nostra autem opinio hisce fuleitur rationibus. Marius *Secundam Relationem* absolvebat an. 1578 et tunc temporis iam spatio fere 40 annorum inter Capuccinos commoratus erat (8). Praeterea in *codice Anconitano* (antea *Cinguli*) huius *Secundae Relationis* explicite af-

ANTONIO FABRIANI. Continet aliquas notitias ineditas. - Haec manuscripta, benevolentia Alphonsi Arrigoni, ecclesiae parochiali Fori Sarsinii praefecti, ipsemet Assisii examinare potui, pro qua re ei gratias refero debitas.

Breviarium = CLAUDIUS BITURICENSIS, O.M.CAP., *Breviarium chronologicum Ord. F. Min. S. Francisci Capuccinorum (1525-1691)*. Citatur ex apographo, quod Romae in *Archivo generali* Ordinis invenitur.

(1) PETRUS RODULPHUS TOSSINIANENSIS, O.M.CONV., *Historiarum seraphicae Religionis libri tres*, f. 201r, Venetiis, 1576.

(2) Cf. *Ragguaglio*, p. 6; *Specchie*, f. 7r, 30v.

(3) *Ibid.*

(4) *Cod. Venet.*, f. 79rv.

(5) *Ibid.*, f. 56v.

(6) *Ibid.*, f. 92rv.

(7) Biographi enim asserunt in conventu Tolentini seraphicas lanas induisse an. 1536 vel 1538. Cf. *Annales*, t. I, an. 1538, n. 8, p. 274; t. II, an. 1581, n. 35, p. 11; n. 55, p. 17; *Leggendario*, p. 67; *Ragguaglio*, p. 14; *Specchio*, f. 7v, 31r; *Breviarium*, p. 29; BENEDETTO PALOCCI DA SCANDRIGLIA, O.M.CAP., *Ristretti serafici ovvero Laconismo delle vite dell'huomini più illustri in santità e dottrina de' FF. Min. Capuccini*, p. 167, Roma, 1656.

(8) Cf. *Descrizione*, p. 66.

firmatur eum, cum novitius Camerini degeret, primas Ordinis Constitutiones prae manibus habuisse atque magno cum gaudio legisse (1). Age vero, in loco parallelo *Tertiae Relationis* additur hoc evenisse an. 1540 (2). Haec nostra temporis supputatio melius cum notitiis autobiographicis a Mario traditis congruit. Enimvero is adhuc iuvenis Ordinem Seraphicum amplexus est (3), discipulus exstitit P. Bernardini a Monte-Ulmo, qui magisterii munere fungebatur (4), etc.

Tyrocinium franciscanum sub directione P. Josephi a Collemato Camerini peregit, quem magna semper veneratione prosecutus est (5). Statim modus vivendi novae Congregationis, ubique amorem fraternum, gaudium spiritale, simplicitatem evangelicam spirans, ita animum suum rapuit, ut iam senex grata recordatione temporis acti frueretur (6). Non multo post a superioribus, eximiis qualitatibus perspectis, fratribus praeficitur. Fertur an. 1542 guardianus conventus Faventini fuisse (7). Scire tamen oportet eum mense augusto huius anni in conventu Camerini degere, atque Fulginiae a Card. Farnesio apostasiam Bernardini Ochini didicisse (8). Anno sequenti (1543) familiae conventuali Camerini praesidebat (9). Ex commissione Superiorum articulos quos, iubente Card. Protectore, singuli praedicatores enucleare et subscribere debebant, ipsemet per Picenae provinciae conventus distribuit (10). Tempore visitationis P. Bernardini ab Asti an. 1547 in conventu S. Angeli in Vado morabatur (11), et capitulo generali interfuit Neapoli an. 1549 (12). Ex conventu Civitatis Novae die 10 oct.

(1) Cf. *Cod. G/1*, f. 18v, in *Arch. Min. Cap.* Anconae. Hic textus desideratur in editione P. Josephi a Firino, nos autem integre ex exemplari originali transcribemus. Vide infra p. 569.

(2) Cf. *Cod. Ven.*, f. 100r.

(3) « Quello che da me fu posto in carte parte io l'havea veduto con g'pocchi proprii, veneudo io giovanetto a questa Religione ». *Cod. Venet.*, f. 79r.

(4) « La cognitione che io havea di quel Padre (Bernardino da Monte dell'Olmo), essendogli stato discepolo mentre egli leggeva, e figliuolo carissimo nella mia giovanile etade ». *Cod. Venet.*, f. 96v. Cf. *ibid.*, f. 4r.

(5) Cf. *Cod. Venet.*, f. 89r, 90r, 185v; *Annales*, t. I, an. 1557, p. 453 sq.

(6) « Io so ragionar di me, e dico che quando venni a pormi quest'habito benedetto in dosso, e che io vidi tanta charità e così fatta allegrezza e fratellanza tale, mi parve fra gli Angeli entrare in paradiso e n'hebbi contento tale e tanto, che ben spesso ne lagrimai di dolcezza ». *Cod. Venet.*, f. 113v.

(7) Cf. *Tavola cronologica dei PP. Guardiani dei Cappuccini nel convento di Faenza*, in *La Voce del Crocifisso*, 1934, an. II, n. 4, p. 4.

(8) *Cod. Venet.*, f. 240v-241r.

(9) *Descrizione*, p. 13; *Cod. Venet.*, f. 56v-57r, 254.

(10) *Cod. Venet.*, f. 254.

(11) Cf. *Descrizione*, p. 59; *Cod. Venet.*, f. 215v.

(12) Cf. *Descrizione*, p. 26; *Cod. Venet.*, f. 218.

an. 1551 litteras ad matrem mittit, in quibus vicarius se subsignat (1). In comitiis generalibus Romae celebratis die 3 iun. an. 1552 in conventu S. Nicolai definitor generalis eligitur, ad idemque munus assumitur an. 1561, 1564, 1575, 1578 (2). Porro an. 1555 a Superiore Generali ut vicarius provincialis provinciae Bononiensi praeficitur (3), atque an. 1561 Patrum capitularium suffragio ad idem munus mense aprili Ferrariae vocatur (4). Provinciam quoque Picenam, ut vicarius provincialis rexit an. 1556-1559 (5).

In capitulo generali an. 1558 praescriptum erat ut guardianus conventus romani ex qualibet Ordinis provincia assumi posset (6), atque an. 1564 ut talis usque ad proximum generale capitulum nominatur P. Marius (7), qui in comitiis diei 15 maii an. 1567 ad supremum Ordinis culmen evehitur (8). Statutum est, ut qui deinceps munere Procuratoris generalis actu fungeretur utramque vocem activam et passivam in capitulo haberet, sed cum haec praescriptio opposita Regulae videbatur, Marius nonnullis patribus adseitis Romanum Pontificem Pium V adiit, a quo huius dispensationis confirmationem quaesivit (9). Solutis comitiis, P. Marius provinciarum visitationem instituit, eodemque an. 1567 Tusciam peragrabat et conventus Montis Acuti construendi licentiam dedit vel ipse prima fundamenta iecit (10).

(1) Cf. *Specchio*, f. 6r-7r.

(2) Cf. *Breviarium*, p. 51, 62, 65, 94, 102; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1889, t. V, p. 75, 78, 79, 104; 1905, t. XXI, p. 312, 240.

(3) [SALVATORE DA SASSO, O.M.CAP.], *Cronotassi dei provinciali Cappuccini di Bologna*, in *La Prov. dei Min. Cappuccini di Bologna. Atti ufficiali della Curia provincializia*, 1935, t. II, p. 28; *Annales*, t. II, n. 36, p. 11.

(4) *Annali de' Cappuccini... della Provincia di Lombardia (ms. Arch. prov. Parmensis)*, t. I, p. 32; SALVATORE DA SASSO, *art. cit.*, p. 29.

(5) *Stato locale e personale dei FF. Min. Cappuccini della Monastica Provincia Picena*, p. 15, Recanati, 1930. Cf. *Annales*, t. II, n. 36, 40, p. 11, 12.

(6) *Annales*, t. I, p. 552, 636; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1889, t. V, p. 77.

(7) MATTIA BELLINTANI DA SALÒ, *Historia Capuccina (ms. Arch. Gen. Ord. Min. Cap.)*, t. II, f. 127v; *Annales*, t. I, an. 1564, n. 2, p. 609; *Breviarium*, p. 65; *Anal. Ord. Min. Cap.*, *ibid.*, p. 79.

(8) Cf. *Nomi de tutti li Generali Cappuccini et à che tempo furno eletti (cod. IX. F. 57, Bibl. Nat. Neapolis)*, f. 312v; MATTIA BELLINTANI, *op. cit.*, f. 128; *Annales*, t. I, an. 1567, n. 1 ss., p. 653 ss.; *Breviarium*, p. 70; *Anal. Ord. Min. Cap.*, *loc. cit.*, p. 79.

(9) Cf. *Annales*, *loc. cit.*

(10) Cf. *Annales*, *ibid.*, p. 656. P. SIXTUS A PISIS, O.M.CAP. (*Storia dei Cappuccini Toscani*, t. I, p. 121, Firenze, 1906) opinatur tempore autumnali huius anni Marium ipsum fundamenta posuisse. E contra P. LUDOVICUS A LIVORNO, O.M.CAP. (*S. Francesco d'Assisi e la contea di Montauto*, p. 42, Prato, 1884) affirmat tempore quo Pisis capitulum provinciale praesidebat licentiam construendi dedisse. Sed capitulum hoc celebratum est Senis (cf. *Memoriale dei FF. Min. Cappuccini della Toscana*, p. 689, Firenze, 1932).

Probabiliter visitatione Tusciae peracta, ad Calabriam se contulit eodem anno 1567 (1), deinde vero ad Siciliam, siquidem ibi an. 1568 nuntium accepit de rumore in Urbe diffuso, secundum quem mens erat Summi Pontificis Capuccinos cum aliis franciscanilibus familiis uniendi. Continuo ad Romam convolvit, Cardinales Capuccinorum amicos adiit, ab ipsoque Pio V rem diligenter inquit, a quo responsum accepit se numquam de unione Capuccinorum cogitasse (2). Dein visitationem prosequitur. Praeter provinciam Siculam (3) visitavit quoque an. 1569 provincias Picenam (4) atque Bononiensem. Hac occasione venit Veronam (5), Imolam et Bononiam ubi Ivo Magister, O.F.M., eum cognovit (6).

Expleto triennio sui regiminis, Marius novum capitulum generale Romae congregavit die 12 maii an. 1570, et consensu ducentorum paene Patrum in munere confirmatur (7). Hoc eodem anno Marius, hortante Summo Pontifice, Capuccinos ad classem pontificiam destinavit, ut militibus assisterent (8). Ipse vero visitationem canonicam prosecutus est et an. 1571 Neapolim inquit, ex qua urbe consensum dedit, ut Petrus de Campis cum suis sociis Ordini Capuccinorum aggregari posset (9). Anno sequenti iterum in provincia Bononiensi invenitur. Die 14 ian. an. 1572 ex Macerata litteras ad Marcum Antonium Colonna mittit (10) atque die 9 sept. eiusdem anni Fori Sarsinii quoddam documentum propria signabat manu (11).

A mense maio an. 1573, quo alterum sui gubernii triennium absolvit (12), activitas P. Marii nos latet. Secundum Rufini Senensis sententiam in hoc secundo triennio minorem laudem quam in primo assecutus est sive quia saepe infirma valetudine

(1) *Cod. Venet.*, f. 148r.

(2) *Cod. Venet.*, f. 255v, 256; MATTIA BELLINTANI, *op. cit.*, f. 129r; *Annales*, t. I, an. 1568, n. 1-2, p. 666; t. II, an. 1581, n. 42, p. 13.

(3) *Annales*, t. I, an. 1569, n. 3, p. 681; ANTONINO DA CASTELLAMMARE, O.M. CAP., *Storia dei Frati Min. Cappuccini della Prov. di Palermo*, t. I, p. 162-163, Roma, 1914.

(4) *Annales*, t. I, p. 680.

(5) *Cod. Venet.*, f. 134v.

(6) *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1923, t. XXXIX, p. 231. Vide *infra*, p. 558.

(7) Cf. *Nomi di tutti li Generali*, f. 212v; RUFINO DA SIENA, in *Italia Franc.*, 1930, t. V, p. 425; *Annales*, t. I, an. 1570, n. 1, p. 700; *Breviarium*, p. 79; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1889, t. V, p. 81.

(8) Cf. *Annales*, t. I, p. 700, 711.

(9) MATTIA BELLINTANI, *op. cit.*, f. 138; *Breviarium*, p. 76-77. Secundum Rufinum a Senis hoc evenisset an. 1570. Cf. *Italia Franc.*, *art. cit.*, p. 428.

(10) Vide *infra*, p. 586.

(11) Cf. *Ragguaglio*, p. 48-49; *Specchio*, f. 16r.

(12) *Annales*, t. I, an. 1573, n. 1, p. 737; *Breviarium*, p. 84; *Anal. Ord. Min. Cap.*, *loc. cit.*, p. 81.

detinebatur sive quia provinciae Italiae meridionalis plurimum studium et totam eius attentionem requirebant (1).

Cum de capitulo generali an. 1575 Romae celebrando rumores disseminarentur quasi inter capitulares quasdam divisiones esse, Card. Urbinas Ordinis Protector Marium destinat, ut comitiis praesideret, sed electoribus reluctantibus, quibus « nova ac prorsus insolita res visa est », a proposito desistit (2). Marius definitor generalis eligitur in hoc capitulo atque an. 1578 ultima vice hoc munus suscipit. Probabiliter hac occasione mandatum iterum origines Ordinis conscribendi a Superioribus accepit (3).

Mense iulio an. 1579 Anconae morabatur, uti ex transumptis quorundam documentorum tunc temporis factis eruitur (4). Ad idem tempus referenda est commissio a Vicario Generali accepta provincias Siciliae visitandi, de qua historiae Ordinis sermociantur (5). Sed iam an. 1580 in conventu Caesenae, ut magister novitiorum, degebat (6), eodemque anno tertiam de origine Congregationis Relationem scripsit, de qua fusius infra loquemur. Tandem dum iter romanum peragit, ut capitulo generali interesset, Tolentini die 6 maii an. 1581 e vita decessit (7).

Ne mireris, quaeso, in curriculo vitae P. Marii describendo nos adeo immorari; oportebat enim semel saltem conspectum chronologicum debitae auctoritatibus roboratum lectoribus praebere.

Tam ex ipsius Marii scriptis originalibus quam ex vetustioribus monumentis apparet eum animo praeditum esse miti, benigno, iucundo, faceto quo non minus amorem et affectum confratrum quam saecularium benevolentiam sibi conciliabat (8).

(1) Cf. *Italia Franc.*, *art. cit.*, p. 425.

(2) Cf. MATTIA BELLINTANI, *op. cit.*, f. 142; *Annales*, t. I, an. 1575, n. 1, p. 764; *Anal. Ord. Min. Cap.*, *loc. cit.*, p. 103.

(3) Vide *infra*, p. 566.

(4) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, O.M.CAP., *De primordiis Ordinis FF. Min. Capuccinorum*, p. 27, not. 3, p. 49, nota 1, Romae, 1921.

(5) *Annales*, t. II, an. 1581, n. 39, p. 12; *Leggendario*, p. 68; *Ragguaglio*, p. 21.

(6) *Leggendario*, p. 37, 67; *Specchio*, f. 8v, 32; *Annales*, t. I, an. 1580, n. 24, p. 860.

(7) *Leggendario*, p. 75; GIUSEPPE DA FERMO, O.M.CAP., *Gli scrittori Cappuccini delle Marche e le loro opere edite ed inedite*, p. 74, Jesi, 1928. Alii auctores diem mortis omittunt. Cf. *Annales*, t. II, n. 55, p. 17.

(8) « Questo R. Padre era molto prudente, di sodisfazione grandissima non solamente alla Religione, non, ma ancora à tutti li prelati ecclesiastici et secolari. Di questo Padre non si può dire quanto fusse humile et amorevole, che allacciava il core di ognuno con il suo conversare et parlare ». *Nomi de tutti li Generali*, f. 312v. Cf. BERNARDINO DA COLPETRAZZO, *Chronica (ms. Arch. Gen. Ord. Min. Cap.)*, p. 1379; MATTIA BELLINTANI, *op. cit.*, f. 129v; RUFINO DA SIENA, in *Italia Franc.*, *art. cit.*, p. 352; *Annales*, t. II, p. 36 sq., p. 11; *Leggendario*, p. 71; *Ragguaglio*, p. 15.

Pariter ferunt auctores Marium constitutionis corporis delicatae fuisse, quapropter vitam austeram, gravibus paenitentis, ieiuniis, disciplinis onustam, « qualem a multis eo tempore coli solebat », minime amplexus est, sed observantiam communem seu regularem vel in minimis apicibus perfecte observare contentus, confratribus etiam debilibus et infirmis regiam sanctitatis semitam verbo et exemplo docuit (1). Et forsitan hanc viam ingressus est non tam infirmae valetudinis causa, quam ratione excellentiae vitae interioris, quae austeritates corporales longe superat. Quod genus vivendi atque ipsa benignitas et moderatio in delictis et defectibus puniendis aliquatenus offendisse videtur rigidissimae disciplinae priscorum Patrum propugnatores (2). Praeterea tempore sui regiminis conventus nimis a civitatibus distantes relinqui aliosque viciniore cum quadam amplitudine – certe paupertati non opposita – aedificari coeperunt (3). Marius enim Ordinis gubernacula tenuit in perdifficili periodo evolutionis et adaptationis quam cunctae societates humanae passae sunt. Nihil igitur mirum, si eius modus agendi benignus, pacatus, prudens

(1) Cf. REFINO DA SIENA, in *Italia Franc.*, art. cit., p. 353; *Annales*, t. II, an. 1581, p. 37. p. 11; *Leggendario*, p. 67; *Ragguaglio*, p. 16. Ne quis erronee interpretetur ea quae de austeritate P. Marii referunt auctores, iuvabit recolere testimonium Ivonis Magistri qui eum an. 1569 cognovit: « Primo cum essem Bononiae [1569], in quodam monasterio aegrotavit eorum Minister Generalis [P. Marius], qui erat senex, aspectu venerabilis, proluxa et alba barba, qui per totum suae infirmitatis tempus nunquam habitum exiit, nec subuculam induit, nec in cubili sindone lineae usus fuit; qui modus servatur generaliter in curandis eorum infirmis... Cum essem in eadem provincia (Romandiola) eorum Generalis venit ad civitatem Imolei, ubi tunc temporis erat quidam guardianus, qui zelo charitatis accensus lectulum strandum cum quadam culcitra pro Generali sene et infirmo curavit. Quod ut ille intellexit mox iussit culcitram auferri et Guardianum tanquam de scelere commisso reprehendit ». Cf. *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1923, t. XXXIX, p. 231.

(2) « Egli [P. Mario] nel governo suo, si come era di tal natura, fu piacevole e benigno et quantunque molto gli dispiacessero i viti, essendo egli di integerrima vita, nondimeno fu lento a punirli, il che hanno pensato alcuni che portasse alcun nocumento alla Congregazione la quale già crescendo in moltitudine havea bisogno di freno, perchè la moltitudine, et massime di giovani facilmente scorre (se non è frenata) nelle rilassationi ». MATTIA BELLINTANI, *op. cit.*, f. 129v. Quae italice exscriptimus ipse Matthias obliteravit et ad marginem correxit: « più forse di quello che allora havea bisogno la Religione ».

(3) Cf. *Breviarium*, p. 72. « Se in qualche cosa per conto delle fabbriche non si sta in quella strettezza, è per la cagione sopradetta dell'infirmità che induceva quel fabricare à terra piana, se le stanze sono accresciute in numero per lo accrescimento de frati, non sono però accresciute nella grandezza loro. Qualche chiesa è fatta un poco più grande delle prime, questo parimente è avvenuto per l'accresciuta divotione de popoli; onde assai più al presente concorrono alle nostre chiese all'orationi, alle messe, et alli divini ufficii, che non venivano innanzi ». *Cod. Venet.*, f. 110r. Cf. *ibid.*, f. 106v sq.

quorundam animos adversus se concitavit. Rodolphus Tossiniensis nimis acre iudicium in Marium tulit asserens eum mediocriter doctum fuisse, natum potius ad cantandos hymnos quam ad regimen (1). Ab hac iniusta accusatione Boverius aliique Marium vindicarunt (2). Et recte quidem. Si regimen P. Marii adeo infelix, exstitit, non intelligitur, cur confratres spatio fere 40 annorum superiorem elegerunt, siquidem saepe guardianus et vicarius fuit, ter saltem provincialis, quater definitor generalis, bis supremus Ordinis Moderator. Forte origo illius acerbi iudicii repetenda est ex eo, quod unioni familiarum franciscalium quam aliqui totis viribus anhelabant, Marius fortiter restitit. Quid pro Ordinis incremento et organisatione fecerit, patet ex ordinationibus generalibus et ex ipsa historia Ordinis: independentiam et progressum sustinuit, studia fovit, regularem observantiam tuitus est (3).

Plurima essent dicenda de huius eximii viri qualitatibus moralibus, sed quia de his laudatorio calamo historiographi dissevererunt, qui insuper addunt illius sanctimoniam quibusdam factis extraordinariis comprobata esse, nos omittimus (4). Ingenii dotes, intellectuales et litterariae ex infra dicendis luculenter patebunt. P. Marius fuit quoque verbi Dei praedicator atque monumentum suae evangelicae activitatis posteris reliquit, volumen scil. manuscriptum cum sermonibus tempore quadragesimae et adventus aliisque circumstantiis habitis (5).

Tandem brevem notitiam iconographicam addam. Fratres Löffler, qui opus P. Caroli de Arenberg illustrationibus exornare, Marium etiam exhibent et quidem stantem atque in manu dextra volumen, in sinistra vero liliu habentem; hinc inde accedunt variae figurae mirabilium factorum quae in vita illius describuntur (6). Presbyter Franciscus Antonius Fabrani, qui ineunte saec. XIX plures notitias biographicas recollegit, testatur apud se duas effigies P. Marii habere, quarum primam satis antiquam a familiaribus P. Marii acceperat an. 1795, alteram

(1) Cf. *Historiarum seraphicae Religionis libri tres*, f. 201r.

(2) *Annales*, t. II, an. 1581, n. 41-47, p. 13-15; *Leggendario*, p. 69; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1928, t. XLIV, p. 237.

(3) Cf. *Annales*, t. I, an. 1567-1573, p. 652-751; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1889, t. V, p. 79 sq.

(4) Cf. *Annales*, t. II, p. 11-17; BENEDETTO PALOCCI DA SCANDRIGLIA, *op cit.*, p. 167-171; *Leggendario*, p. 65-75; *Ragguaglio*, 26-47.

(5) Cf. *Ragguaglio*, p. 34; *Specchio*, f. 15. Vide *infra*, p. 586.

(6) *Flores Seraphici ex amoenis Annalium hortis Adm. R. P. F. Zachariae Boverii... collecti sive Icones, vitae et gesta virorum illustrium*, t. II, p. 2 sq., Coloniae Agrippinae, 1642.

vero, ipso iubente, Romae elaboratam esse. Meminit etiam aliam imaginem quae item Fori Sarsinii suo tempore servabatur cum hac inscriptione: *F. Marius Fabranus (sic) bis Capuc. Generalis Anno 1570: Obiit Anno 1581: | Aetatis suae 80: Tolen.* / (1). Mihi interroganti responsum est praedictas imagines hodie Fori Sarsinii non reperiri. Denique series Ministrorum Generalium, quae durante P. Eduardo Alenconiensi Romae an. 1914 publici iuris facta est, novam quandam imaginem P. Marii continet (2). P. Josephus a Firmo, O.M.Cap., in editione *Secundae Relationis* P. Marii aliam effigiem vulgavit, quae eum aspectu venerabili effingit contemplantem crucem ligneam quam manu dextra tenet, dum sinistra flagellum fert (3).

II. - DE OPERIBUS EDITIS ATQUE INEDITIS P. MARI

Omnia, quaecunque Marius scripsit, opera duabus complectuntur categoriis; ad primam ea pertinent, quae characterem historicum prae se ferunt; ad alteram vero sermones et quaedam poemata devota vel litteraria spectant. Omnia et singula nobis nota referimus iterumque lectores rogamus, ut si quod opus vel novum aliquem codicem noverint benevolenter nobis communicare velint.

1. - *De triplici descriptione seu relatione originis Ord. Min. Capuccinorum.*

Opus sane princeps P. Marii est triplex illa *Relatio*, quam alio atque alio tempore de primordiis Capuccinorum conscripsit. Harum *Relationum* authenticia a nemine unquam in dubium vocata est, quapropter supervacaneum esse puto in hac quaestione enodanda diutius immorari. E contra, ut perspecta magis res fiat, has pertractavimus quaestiones: tempus compositionis, argumentum, fontes, codices, influxus. Nullum dubium est, quin hae notitiae ad cognitionem operis, quod primam Ordinis historiam constituit, peritiles evasurae sint.

(1) Cf. *Specchio*, f. 16r-17v.

(2) *Hierarchia Seraphica Ord. FF. Minorum Capuccinorum*, Romae, 1914.

(3) Auctor locum non indicat ubi imago invenitur. In alio opere refert inscriptionem imaginis, sed haec etiam locum tacet (cf. GIUSEPPE DA FERMO, *Iscrizioni riguardanti chiese, conventi e soggetti cappuccini della monastica Provincia Marchigiana*, p. 88, Castelplanio, 1922).

A. - *De prima Relatione.*

Nomen auctoris indubie ostenditur tum ex inscriptione omnium codicum quos novimus, tum ex dictis ipsius Marii in duabus aliis *Relationibus*, tum denique ex aliis testimoniis coaevis, quae hic afferre inutile ducimus. Tempus vero compositionis in nullo e codicibus indicatur, at ipse Marius testatur se ad P. Honorium a Monte Granaro epistolam hanc dedisse an. 1565 (1), et quidem die 3 septembris, addit Josephus Zarlino (2). Hoc tempore, praefatus Honorius, qui provinciae Tusciae vicarii provincialis munere fungebatur, fratres visitandi gratia Florentiam venit, ibique a Cosma I Etruriae duce rogatus ut originem Congregationis suae ipsi enarraret, Mario a Foro Sarsinio tunc guardiano conventus romani scripsit ut ducis votis obsecundaret, idque ille una cum P. Eusebio Anconitano et P. Josepho a Colleamato continuo per epistolam praestitit (3).

Marius, brevitati consulens, summatim refert, quomodo Matthaeus a Baseio, ineunte anno iubilari 1525, prima fundamenta novae Reformationis iecerit, iter romanum describit atque licentiam a Summo Pontifice obtentam, occursum cum P. Francisco a Cartoceto et adventum P. Ludovici Forosempronensis, qui Litteras a S. Paenitentiarum obtinuit die 18 maii an. 1526. Eodem fere tempore Paulus Clodiensis ad eos venit, atque ducissa Camerini, fautrix novae Reformationis, omnes speciali prosequitur favore. Memoratur primum capitulum generale ac primordia Congregationis in Calabria. Tandem nomina plurium fratrum ex qualibet Ordinis provincia ad novam Congregationem venientium citantur et Bernardinus Ochino Congregationis institutor fuisse negatur.

Traditio oralis ipsaque auctoris experientia sunt soli fontes adhibiti in hac *Prima Relatione*. Et sane res describuntur « quae ferebantur ab antiquis patribus vel quae ipse [auctor] ex ore

(1) « Ezzo Padre frate Honorio... me ne scrisse, pregandomi a porre in carta tutto il successo... il che volentieri io fecci; onde ne nacque quello scritto..., e questo fù l'anno del Signore 1565 ». *Cod. Venet.*, f. 1rv.

(2) Cf. *Informatione del Reverendo M. Gioseffo Zarlino... Intorno la origine della Congregatione dei Reverendi Frati Cappuccini*, f. 22v, Venetia, 1579.

(3) Cf. *Cod. Venet.*, f. l. - P. Honorius a Monte Granaro bis vicarius provincialis Etruriae electus est, videlicet an. 1550 et 1566 (cf. P. SISTO DA PISA, O. M. CAP., *Storia dei Cappuccini Toscani*, t. I, p. 88, 89, Firenze, 1906; *Memoriale dei FF. Min. Cappuccini della Toscana nel IV centenario della loro Provincia*, p. 689, Firenze, 1932). Ex dictis tamen constat eum an. 1565 hoc officium habere.

P. Matthaei a Bascio olim audierat, quin eas authenticis monumentis fulcire utile duceret » (1).

Dubium moveri potest de huius descriptionis integritate. Quantum ex codicibus conicere possumus, mancam esse arbitramur (2). Cuique legenti patet narrationem epistolae formam, quam auctor dedit, prae se nullatenus ferre (excepto forsitan *codice Florentino*) nisi dicere velimus hanc *Relationem* non in forma epistolae sed in litteris ad P. Honorium datis Marium separatim misisse. Sed colligitur quoque ex eo quod Josephus Zarlino citat huius *Relationis* testimonia, quae in nostris codicibus non inveniuntur, atque facile fuisset Mario, adversus quem ea afferebantur, interpolationem detegere, quod minime fecit, immo relata repetit et confirmat (3).

Iam anno 1569 hac *Relatione* usus est - reticito nomine auctoris - Paulus Moriggia in brevi quadam descriptione originis Ordinis Capuccinorum, ubi verba ipsius Marii saepe recitat vel summatim refert (4). Epistola Marii a Paulo Moriggia compendiata iisdem verbis exhibetur a Josepho Zarlino (5), attamen is apographum epistolae ob oculos habebat, ex quo datum sumit et ea quae Paulum Clodiensem attinent transcribit (6). Illam quoque novit P. Rufinus a Senis vel quisquis codicem Mutilianae nuper a P. Sixto a Pisis editum sub fine saec. XVI redigebat (7). Quoties auctoritatem Marii adducit, eiusdem litteras ad P. Honorium commemorat (8). P. Eduardus Alenconiensis opinatur

(1) P. EDUARDUS ALENCONIENSIS, O.M.CAP., *Tribulationes Ord. FF. Min. Capuccinorum primis annis pontificatus Pauli III*, p. III, Romae 1914.

(2) Cf. P. GERARDO DA VILLAFRANCA, O.M.CAP., *P. Matteo da Bascio e P. Paolo da Chioggia*, p. III, not. 2, Chioggia, 1913.

(3) Scribit JOSEPHUS ZARLINO: « Soggiungerò quello che chiaramente scrive il R. Padre da Mercato saracino...: In un medesimo tempo venne... il Padre F. Paulo da Chioggia, *huomo litteratissimo* e di grande spirito ». *Informatione* f. 25v, 29v. Nunc autem quae italice exscribimus in codicibus notis *Primae Relationis* non leguntur, sed in *Tertia Relatione* ait Marius: « E perchè egli era letterato (di nuovo il replico e questo è il vero, benchè il suo compatriota per più honorarlo il faccia quasi ignorante) ». *Cod. Venet.*, f. 87v. Ipsemet auctor affirmat in *Prima Relatione* Marium scripsisse formam habitus quam Matthaeus sumpsit eandem esse ac habitus formam quem S. Franciscus universusque Ordo gestavit usque ad pontificatum Joannes XXII (*ibid.*, f. 22v). Quod quidem in nullo codice invenimus. Sed forsitan Jos. Zarlino *Primam* et *Secundam Relationem* novit.

(4) PAOLO MARIIGGIA, ORD. IESUAT., *Historia dell'origine di tutte le religioni che sino ad hora sono state al mondo con gli autori di quelle*, f. 164r-166r, Venetia, 1576. Prima editio, quam consulere non potuimus, prodiit Venetiis, an. 1569.

(5) *Op. cit.* f. 23v-25v.

(6) *Ibid.*, f. 25v-26v.

(7) Cf. *Italia Franc.*, 1926, t. I, p. 31 ss.

(8) *Ibid.*, p. 33, 117, 234, 309.

Marcum Ulyssiponensem nostram *Relationem* non cognovisse dum Italiam visitavit ut documenta colligeret ad sua Chronica minoritica conscribenda, quia « verisimiliter ad paucorum notitiam venerat »(1). Sed probabiliter tempore sui itineris nondum composita erat (2).

Descriptio codicum quam modo offerimus traditionem litterariam et manuscriptam *Primae Relationis* magis illustrabit.

Autographus textus *Relationis* deperditus est vel saltem adhuc ignoratur. Minutam trium codicum descriptionem exhibemus, qui textum referunt.

1. — CODEX VENETUS.

Codex miscell. chart. post annum 1590 exscriptus: 140 : 180 mm. Adservatur nunc Venetiis in *Bibliotheca Musaei Correr* cum signatura *cod. Cicogna 766* (antea 551). Constat 54 foliis non numeratis ab unica manu nitido characterere scriptis.

Dicimus codicem post annum 1590 transcriptum vel saltem expletum esse hae ducti ratione: Fol. 20v legitur sequens notitia: *Del 1367. Essendo Generale fra Tomasc di Ferignano, fiorì F. Paolo Trincio da Fulinigi di nobile casata, laico, ma di gran santa vita. Et questo fra Paolo cominciò à dar principio a portar i Zoccoli vedi nel libro 9. della seconda parte delle Croniche à C. 541.* Nunc vero collatione cum *Chronicis* fratris Marci Ulyssiponensis facta, ad hanc pervinimus conclusionem: Scriba *codicis Veneti* ob oculos habuit unam ex editionibus *Chronicarum*, quae inde ab anno 1590 publici iuris in versione italica factae sunt. Et re quidem vera, allata citatio apprime respondet editionibus an. 1590 et 1606 quas examinavimus (3), nullo autem modo editioni principi an. 1586 (4).

Codex praebet quoque alia opera P. Marii. Videamus singula:

Fol. 1. Vacuum.

Fol. 2r. *Alcune cose notabili dal principio della conversione di S. Francescho et della sua Religione.*

Fol. 3v. *Descrizione del Habito che ordinò et portò il padre Santo Francesco.*

Fol. 4v. *Della mutatione del Capuccio di S. Francesco in quello che usano al presente i Padri Conventuali et Osservanti.*

Fol. 4v. *L'Habito della Congregatione dei Frati Capuccini è come quello che ordinò et portò il Padre S. Francesco.*

(1) *De primordiis Ord. FF. Min. Capuccinorum*, p. 8.

(2) « Quo anno certo Marcus Italiam peragraverit, nemo est qui nos doceat. Illum tamen de mandato Ministri Generalis, Andreae Alvarez Insulani (1547-1553), potiores urbes Hispaniae, Galliae et Italiae lustrasse constat. Inde in patriam rediens, *Chronicarum* suarum partem primam a. 1556, partem secundam a. 1562, et partem tertiam a. 1570, typis vulgavit ». Ita Auctores novissimae editionis *Annalium WADDINGI*, t. XVI, p. 779, Ad Claras Aquas, 1933.

(3) MARCO DA LISBONA, O.F.M., *Delle Croniche de' Frati Minori. Parte seconda, divisa in dieci libri...*, l. IX, c. 26, p. 451, Venetia, 1590, 1606.

(4) *Croniche de' Frati Minori. Parte seconda*, etc., Venetia, 1586. In hac prima editione textus citatus invenitur in p. 757.

Fol. 6v-18r. *Breve dichiarazione del principio della nostra Congregazione scritta dal Reverendo Padre Fra Mario di Mercato Seracino, et mandata a un Padre di questa Provincia l'anno di Nostro Signore del MDLXVIII (1).*

Inc. (fol. 7r): *Nell'Anno MDLXXV (sic!) nel mese di Gienao diede il misericordiosissimo Iddio principio a questa nostra Congregatione.*

Expl. (fol. 18r): *et à loro erano fatte delle quali per tanti mosi (sic) agiutar ne volse quel che per sua bontà ne creò al quale sia honore et gloria in sempiterno.*

Fol. 18v. *Lode sopra la Natività di Nostra Signora.*

Fol. 20v. *Ad Crucifixum* (poesis vulgo Sonetto).

Fol. 21r. *Sopra l'Ascesa di Christo al Cielo, di missier Marc' Antonio Leone.*

Fol. 21v. *Sopra il Spirito Santo, del medesimo.*

Fol. 22r-46v. *Del Reverendo Padre Fra Mario de Mercato Saracino Cappuccino.* (Poesis in honorem Beatae Virginis Mariae).

Inc. (fol. 22r): *L'alto principio al ciel gradito e santo onde n'è il mondo ogn'hor lieto e contento.*

Expl. (fol. 46v): *Che stanco possa, e'l resto vi prometto puoi dirvi in breve e al ascoltar in aspetto.*

Fol. 47r-51r. *Il lavar di Piedi.*

Fol. 51r-52v. *Super Flum Babil.*

Fol. 53r. *A Santa Maria Madalena* (Sonetto).

Inc.: *Una donna vidi io, anzi una stella più lucente che'l sole in trece d'oro.*

Expl.: *Deh! fa s'io t'amo, ch'io ti veggia in cielo e teco goda il Signor tuo e mio.*

Fol. 54. *Est purum.*

De compositionibus poeticis huius codicis, quae forsitan Mario a Foro Sarsinio tribuendae sunt, alibi redibit sermo (2). Ad fidem *codicis Veneti* edidit P. Eduardus Alenconiensis primam Marii *Relationem*, nullo apparatu critico comitante (3). Ex hac nostra descriptione patet codicem nequaquam tertiam *Narrationem* continere, uti quidam innuerunt (4).

2. — CODEX FLORENTINUS.

Est codex chartaceus miscell. saec. XVII (1623) exaratus, qui adseratur hodie in *Bibliotheca Nationali* Florentiae, ubi haec signatura distinguitur: *Magl. Cl. XXXVII cod. 313* (Provenienza Strozzi, 4°, n. 347). Colligatio est omnino simplex; constat 153 p.; 210 : 130 mm. In colligatione addita sunt duo folia custodiae initio unum et in fine alterum.

(1) Ex hac inscriptione quidam decepti sunt, ita ut tempus compositionis confundant cum anno quo ad Venetias epistola missa est. Cf. JO. HYACINTHUS SBARALEA, O.M.CONV., *Supplementum et castigatio ad scriptores trium Ordinum S. Francisci*, p. 219, Romae, 1921.

(2) Cf. p. 587.

(3) Cf. *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1907, t. XXIII, p. 273-279, 326-328; *De origine Ordinis FF. Min. Capuccinorum. Chronica Fr. Joannis Romaei de Terranova*, p. 43-51, Romae, 1908.

(4) SALVATORE DA VALENZANO, O.M.CAP., *I Cappuccini nelle Puglie*, p. 474, Bari, 1926.

In parte superiore pag. 1 alia manus recentior scripsit: *D 313 N. 347*, i. e. signatura quae in codice colligato repetitur.

Scriba codicis est P. Cherubinus a Sestino, qui anno 1623 (1), tempore scilicet quo ut socius praedicatoris Quadragesimae Bassii morabatur, eum exscripsit (2). Lectiones variantes in relatione ad alios codices sunt multae. Inveniuntur etiam aliquae interpolationes. Initium *Relationis* Marii in nostro codice magis videtur convenire naturae epistolae quam ipse Marius ei dedit, sed dicere non audemus is genuinum textum praebere.

En iam quid codex contineat:

Pag. 1-16. *Lettera mandata dal M. Rdo. Pre. Gnale. de Capuccini al Serenissimo Gran Duca di Toschana, circa di onde hebbe l'origine, la Riforma de Capuccini.*

Inc. (p. 1): *Ho ricevuto la vostra et ho inteso il vostro desiderio che bramate di sapere quale sia stato il principio della nostra Congregazione, et chi furono quei Padri, che operò il Signore Dio a cominciarla et parimente dove e quando ella fu cominciata. Per meglio soddisfarvi et anco perchè ne abbia chiara notizia ciascheduno, che brama sapere il vero di questi fatti, habbiamo il P. Eusebio et io, fatto venire qui in Roma il P. F. Giuseppe da Fabiano (sic), il quale è uno di questi primi padri, che si ritrovorno al cominciamento di questa nostra piccola e povera nostra Congregazione.*

Expl. (p. 16): *per l'infinita sua misericordia c'ha redento al quale sia honore et gloria in sempiterno.*

Pag. 16. *Testificazione che fa il Padre Fra Gio. da Fano sacerdote et Predicatore in favore della Religione dei Capuccini, et si rende in colpa, che mentre era Frate zoccholante sempre con gagliarda mano perseguitava li poveri Capuccini, dipoi per divina spiratione si fa Capuccino et di Saulo diviene Paulo e dice così: Al presente confesso l'ignoranza mia.*

Pag. 18-35. *Del modo di vivere e delle cose che patirono li primi Capuccini.*

Pag. 35-154. *La laudabile et santa vita d'alcuni frati Minori dell'Ordine di S. Francesco della Riforma dei Capuccini, quali con diligenza ha fatte raccorre il Molto Rdo. Padre Fra Girolamo da Montefiore mentre ch'era Vicario Generale di detta Congregazione.*

3. — CODEX GENUENSIS.

Accuratam huius codicis descriptionem offerre non valemus, siquidem immediate eum examinare non potuimus. Exemplar adservabatur

(1) «Hoggi che siamo nel millesimo 1623» (p. 18). Eodem loco testatur auctor tunc temporis universum Ordinem Fratrum Min. Capuccinorum habuisse 42 provincias cum 14752 religiosis.

(2) «Il primo luogo della nostra Religione fu Camerino nel quale ci stanno di continuo i Novitii, il secondo luogo è Pietra Robbia vicino a Basci dieci miglia et à Sestino mia Patria, ch'io fra Cherubino di Mard'Antonio Fabritii ho tolto a scrivere il Principio della nostra Riforma et Congregazione con l'occasione che hebbi à Basci una Quaresima Compagno d'un Padre Predicatore, et ogni mattina il nipote del Beato Padre fra Matteo da Basci, Fondatore et principio della nostra Religione, mi serviva la Messa alla Capella del Beato Padre Fra Matteo Capuccino nostro fondatore come ho detto et così hebbi occasione di fare questo trattato breve per consolatione di molti nostri devoti, Benefattori che desiderano sapere il tutto» (p. 14). De primis conventibus Ordinis conferatur dissertatio P. AEMVGDII AB ASCOLI, O.M.CAP., apud *Liber Memorialis*, p. 53 sq., Romae, 1928.

olim in archivo nostrae provinciae Genuensis, atque illius exemplaris apographon in usum venit P. Eduardi Alenconiensis (1). Inde ab anno 1930 circa codex in praefato archivo iam non invenitur. Attamen eum edidit Franciscus Xaverius a S. Laurentio (2), ex qua quidem editione hanc descriptionem praebemus.

Relatio Marii continetur in p. 111-119 codicis, cui titulus: *Dichiarazione sopra la Regola nostra de frati minori fatta dal Reverendo Padre fra Gio. Maria di Tosa Generale de Capuccini nel capitolo Provinciale congregato l'anno 1583 nel mese di settembre il giorno della Madonna* (3). Substantialiter convenit eum exemplari *codicis Veneti* quem descripsimus, sed aliquando textum narrationis nimis contrahit. Initio legitur sequens notitia introductoria quae satis ostendit scribam novisse *Secundam* et *Tertiam Relationem* ipsius Marii, nam haec solae *Relationes* originem epistolae ad P. Honorium missae describunt. Haec igitur *codex Genuensis: Hiesus-Maria-Franciscus. Il principio et origine della Congregatione de Cappuccini fu in tal modo, da Padri degni di fede riferito et scritto ciò è dal Padre fra Gioseph coll'Amato, appresso Fabriano et dal Padre fra Eusebio di Ancona, delli quali il primo fu il suddetto, l'altro poco dopo lui, si vesti del medesimo habito, et questi doi essendo, bene informati del tutto per soddisfare alla eccellenza del Duca di Firenze, il quale domandò che li fosse riferito l'origine di tal Congregatione, fecero scrivere dal Padre fra Mario del Mercato saracino, nel modo suscritto riferendoli loro presentalmente per mandarlo a sua Eccellenza* (4).

Auctor editionis testatur se fideliter textum transcripsisse.

B. - De secunda Relatione.

Ipsa brevitatis atque concisionis prioris narrationis de origine Ordinis nostri curiositati lectorum minime satis facere poterat. Quapropter ipsemet Marius a Card. Sanctae Severinae et a Vicario Generali rogatus, quaecumque ad P. Honorium retulerat, prolixius melioreque forma rescribere satexit (5). P. Eduardus Alenconiensis, praesertim ut difficultatem mutuae dependentiae *Relationum* Marii atque *Chronicorum* Joannelli a Terranova enodaret, sustinuit hoc probabiliter evenisse an. 1571 (6). Nostra vero sententia, Marius hanc *Secundam Narrationem* redigendi ordinem accepit an. 1578 tempore capituli generalis die 16 maii Romae celebrati. Ut infra videbimus, *Tertia Relatio* certe scripta

(1) Cf. *De primordiis Ord. Fratrum Min. Capuccinorum*, p. 2, not. 3, p. 6, not. 4.

(2) *I Cappuccini Genovesi. Tesori d'archivio*, t. IV, p. 23-29, Genova, 1929.

(3) *Ibid.*, p. 22, nota.

(4) *Ibid.*

(5) Cf. *Descrizione*, p. 1-2; *Cod. Ven.*, f. 1v-2r.

(6) « Certum est secundam Narrationem scriptam fuisse a Mario desideris Cardinalis S. Severinae ut obsecundaret. Tempus ergo quo scribebat inter 13 martii 1570 et 7 septembris 1578 ponendum est; et etiamsi in codice quo utor mentio non habeatur anni 1571, quae apud Maurolicum invenitur, hocce anno scribere potuit, etiamsi aliquantulum huius secundae Narrationis compositionem vellem procrastinare ». Cf. *De primordiis Ord. FF. Capuccinorum*, p. 69.

est an. 1580, ibique auctor explicite affirmat se ante duos annos epistolam ad P. Honorium iterum retractavisse, rogante Card. Sanctae Severinae qui de hac re cum Vicario Generali multisque aliis Patribus (inter quos ipse Marius erat) Romae locutus est (1). Quod tempore sessionum capituli generalis facile evenire potuit. Praeterea conati sumus tempus novitiatus P. Marii presse determinare, illique assignavimus an. 1539-1540 (2). Quo admissio, ipse auctor tempus huius *Secundae Narrationis* nos docet, i. e. quadraginta circiter annis postquam Congregationi nomen dedit: 1578 (3).

His quae in *Prima Relatione* scripserat, quaeque iisdem fere verbis heic repetit, addit nunc persecutiones fratrum in Marchia; reformatio Calabriae fusius enarratur atque etiam series priscorum Patrum augetur et quandoque concisa facta biographica exhibentur.

Dum Marius, votis Superiorum obsequens, hanc alteram *Relationem* redigebat, eam typis vulgare non intendebat, sed tantummodo confratres de origine propriae Congregationis certiores facere (4).

Auctor conatur singula quae refert coaevorum testimoniis fulcire. Sed praeter suam experientiam traditionemque oralem, adhibuit quoque fontes scriptos quos ipse citat.

a) *Epistola P. Ludovici Rheginensis ad P. Bernardinum Georgium Rhegii commorantem*, die 18 maii an. 1532. Hanc epistolam, quam prae manibus habebat, integre transcripsit (5).

b) *Expositio Regulae Fr. Angeli Clarenii*. Dissertens de Joanne de Capella, qui fuit socius S. Francisci, haec habet: « come anco,

(1) « Già due anni sono il medesimo desiderio cadde nel core dell'Ill.mo e R.mo Monsignor Padre nostro Protettore Cardinale Santa Severina, cioè che in carta si ponesse come e dove fusse stato il cominciamento di questa nostra Congregazione: e di ciò sua Signoria Ill.ma parlò col Molto R.do General nostro e con molti altri Padri in Roma, e trovandomi io presente a quei parlari, doppo pochissime parole da sua Sig.ria Ill.ma e dall'istesso R.do Padre Generale mi fu dato un tal incarico. Onde prestamente mi posi a distender il tutto e volsi ponerlo in miglior forma che non era quella lettera, per esser ella così breve e così stretta ». *Cod. Venet.*, f. 1v.

(2) Cf. *supra*, p. 553.

(3) « Per sua misericordia (Dio) mi fece un tanto et tale favore di condurmi et tenermi già quasi per lo spatio di quaranta anni in questa sua eletta compagnia ». *Descrizione*, p. 66.

(4) « Non mi son curato di usare un tale silenzio nel tacere cose tali da nostri fratelli a noi fatte, sapendo che questi miei scritti non gli ha da vedere la stampa, non essendone degni, ma solo hanno da passare per le mani de nostri frati, et non da altri, acciò essi solamente veggano et sappiano il principio nostro ». *Ibid.*, p. 58.

(5) Cf. *ibid.*, p. 32-33.

secondo che scrive el Beato Angelo nella sua dichiarazione della Regola nostra, hebbe ardimento di rubbare el balsamo, che trovato havevano quei buoni Frati per imbalsamare il corpo del Beato Padre San Francesco » (1). Praefata autem *Regulae Expositio* hoc modo eadem refert: « Fr. Johannes de Cappella, qui sublato furtim balsamo, quod ad condiendum corpus beati Francisci praeparatum erat, abiit et laqueo se suspendit » (2).

c) *Memoriale Ordinis Fratrum Minorum maxime rectorum ipsius Ordinis*, etc. Infra fusius dicemus de influxu huius operis in scriptis P. Marii. Haec pro nunc sufficiat notare: Narrat quod, mortuo Clemente V, plurimi Fratres carnalia et ampla vestimenta induerunt, sed veri zelatores (ut ait *Historia* quae talia refert) curiosa vestimenta communitatis exuerunt (3). Haec *Historia* certo certius est dictum *Memoriale Ordinis*, in quo fundatur controversia F. Ludovici et Bernardini a Rhegio cum duobus patribus de Observantia (4).

d) *Chronica Fr. Joannis Romaei de Terranova*. Tandem tempore commorationis in Motta Philocastri a Fr. Joannello, qui fuerat testis ocularis, didicit successus Fratrum Calabriae. Ipse Joannellus eventus Reformationis in illa regione in scriptis consignaverat. Marius autem Joannello descripsit gesta Fratrum in Marchia (5). Constat ergo mutuam utriusque dependentiam, sed eam pressius determinare difficultate non caret. Etenim genuinum Joannelli opus in codicibus non reperitur, eiusque *Chronica* dumtaxat nota est ex opere Sylvestri Maurolici an. 1613 (6), in quo quidem opere aliquas interpolationes subiit (7). Interpolator usus est *Secunda* vel *Tertia* Marii *Relatione*, quam Joan-

(1) *Ibid.*, p. 27.

(2) Cf. LIVARIUS OLIGER, O. F. M., *Expositio Regulae Fratrum Minorum auctore Fr. Angelo Clareno*, p. 5, Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1912.

(3) Cf. *Descrizione*, p. 44.

(4) *Memoriale Ordinis*, quo nos utimur, editum est in *Speculum Minorum seu Firmamentum trium Ordinum*, Venetiis, 1513. Cf. *ibid.*, f. 35r.

(5) « Tutte queste cose mi raccontò con la voce viva nel sopradetto luogo della Motta il Padre Fra Giovanni da Terranova, et poi le pose in scritto... et io discoversi a lui il successo tutto intiero et cominciamento de Frati Capuccini della Marca ». *Descrizione*, p. 57.

(6) *Historia sagra intitolata Mare Oceano di tutte le Religioni del mondo divisa in cinque libri*, p. 375-393, Messina, 1613. *Chronica* JOANNIS A TERRANOVA edita est secundum textum italicum Sylvestri Maurolici et versionem latinam *Actorum Sanctorum* (t. IV mensis maii, p. 281-289), a P. Eduardo Alenconiensi in *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1908, t. XXII, et separatim: *De origine Fratrum Minorum Capuccinorum. Chronica Fratris Joannis Romaei de Terranova*, Roma, 1908.

(7) Cf. quae de his interpolationibus egregie scripsit EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 68-70.

nellus prae manibus habere non potuit, cum an. 1573 e vita decesserit (1).

Traditio litteraria huius *Secundae Relationis* est prorsus exigua. Textus conservatur in unico codice. Hoc forsitan explicatur ex eo quod, vix ea perfecta, auctor novit *Opusculum* Josephi Zarlino, quod ut confutaret, *Tertiam Relationem* componere statim aggressus est.

CODEx ANCONITANUS.

Codex chartaceus autographus (?); 120 : 95 mm.; 51 ff. Custodiebatur olim in conventu Minorum Capuccinorum civitatis Cinguli; colligatus erat cum alio codice miscellaneo, in quo ff. 177r-228r occupabat (2). Nunc autem ab hoc codice separatus adservatur Anconae in *Arch. provinciae Picenae, O. M. Cap.*, cum signatura G / 1. Pars aversa ultimi folii est vacua. In initio invenitur folium quod aliquando quidem vacuum fuit, sed postea in eo alia manus scripsit quinque mysteria gloriosa SS. mi Rosarii.

Cum omni probabilitate codex est autographus. Similitudo scripturae sive litterarum cum subscriptione certe autographa quorundam documentorum quae Romae in Archivo generali Ordinis servantur, nobis videtur manifesta. Contulimus quoque codicem cum epistola P. Marii (diei 14 jan. an. 1572), quae in Archivo nobilis Familiae Colonna custoditur (3), atque ad eandem pervenimus conclusionem. Immo ipsae verborum aut syllabarum correctiones quae hinc inde occurrunt nostram videntur suadere opinionem. Cum vero argumenta prorsus stringentia nobis adhuc desint, item absolute non solvimus.

En titulus narrationis: *Descrittione nella quale fedelmente si ragiona et narra come / quando et dove cominciò la Reforma de Frati Capuccini di San / Francesco, composta da Fra Mario da Mercato Sarsinio del / medesimo ordine et professione, sapendo egli benissimo il tutto da / chi fu il Fundator di detta Congregazione et parimente / da quei Frati che furono primi a pigliar quel santo habito /*.

Inc. (f. 1r): *Quantunque io già scrivesse al Padre Frate Honorio da Monte granaro, essendone da lui pregato una lettera.*

Expl. (f. 51r): *annumerando tra quei grandi che la sua bontà mi ha discoperto et à lui sia sempre honor et gloria. Amen.*

Petium chartae adglutinatum textum primigenium folii 18r (circa finem) tegit. Attamen sententiae ibi contentae hoc modo legi possunt: « Havuto dunque i sugilli in mano congregò di nuovo i Frati nell'luogo di Colmonzone et qui fece il 2° capitolo generale, nel quale furono fatte le prime ordinationi assai buone e piene di spirito, et io essendo novitto a Camerino l'hebbi in mano et lessi con mio contento tutti quei primi ordini fatti in esso capitolo » (4).

Codicem Anconitanum (antea *Cinguli*) noverat etiam P. Eduardus ab Alenconio (5), eumque edidit P. Josephus a Firmo anno

(1) *Annales*, t. I, an. 1573, n. 4-5, p. 738-739.

(2) Cf. *Italia Franc.*, 1935, t. X, p. 257-259.

(3) *Carte sciolte*, 110. Cf. etiam *infra*, p. 586.

(4) Hic textus desideratur in editione P. JOSEPHI A FIRMO, de qua *infra* redibit sermo.

(5) Cf. *De primordiis Ord. FF. Min. Capuccinorum*, p. 2, nota 4.

1927 (1). Transcriptionem a P. Raphaelae a Macerata anno 1881 factam (2) ipsi non vidimus.

C. - *De tertia Relatione.*

Anno vertente 1579, magister Capellae Serenissimae Reipublicae Venetiarum Josephus Zarlino typis vulgavit opellum de origine Minorum Capuccinorum, in quo thesin a P. Mario de eadem re in epistola ad P. Honorium expositam evertere nititur. Ille enim Ordinis antesignanum fuisse Paulum a Clodia et non Matthaeum a Bascio demonstrare intendit (3). Vix igitur Marius expleverat *Secundam Relationem*, cum iam tertio calamus sumere cogitur ut rei veritatem iugiter ostendat. Quod ultro non fecit, sed ab amicis et confratribus enixe rogatus (4).

Itaque tempus compositionis *Tertiae Relationis* ponendum est post publicationem libelli Josephi Zarlino an. 1579. Duobus in locis loquitur Marius, etsi indirecte, de hac quaestione. Semel asserit se septimum agere annum et sexagesimum atque quinquagesimum quartum ab initio Congregationis Capuccinae esse iam transactum (5). Alibi quoque affirmat quod annus quinquagesimus sextus a fundatione eiusdem Congregationis properabat (6). Ergo si a Congregatione condita annus 54 processerat et annus 56 nondum aderat, dicendum est eam spatio 55 annorum exstitisse. Cum vero Marius originem Ordinis Capuccinorum constanter ab an. 1525 repetat, evidens est ipsum hanc *Tertiam Relationem* an. 1580 scripsisse. Confirmatur etiam ex testimonio coevo Vicarii Generalis P. Hieronymi a Monteflorum. Is enim litteris diei 21 martii an. 1580 testatur tunc temporis Marium origines Congregationis enarrare iam incepisse spemque affulgere eum rem sibi commissam et inceptam ad exitum feliciter perducere posse (7).

(1) FRATE MARIO FABIANI DA MERCATO SARACENO, *Delle Origini dei Frati Minori Cappuccini. Descrizione seconda inedita pubblicata dal P. GIUSEPPE DA FERMO, Ancona, 1927.*

(2) Cf. *ibid.*, p. XIII.

(3) *Informazione intorno la Origine de i Reverendi Frati Capuccini, Venetia, 1579.*

(4) Cf. *Cod. Venet.*, f. 2r, 79v-80r.

(5) « Trovandomi hora nell'età di 67 anni, e poco più di 54 anni sono che questa istessa Religione hebbe il suo nascimento ». *Cod. Venet.*, f. 79v.

(6) « E già sono passati (come di sopra ho detto) i cinquanta anni che cominciò questa Congregatione e si avviciano alli cinquanta sei ». *Ibid.*, f. 99v.

(7) « Ma perchè il padre Frate Mario ha tolto lui l'impresa di scrivere l'origine della Congregatione, e il suo progresso per qualche tempo, e già ha

Opus in quatuor partes seu libros dispescitur. In priore describitur quomodo vera habitus S. Francisci forma deperdita sit, et quot ac quales tribulationes Ecclesia et Ordo Seraphicus passa sunt tempore Ludovici Bavari. - In secundo libro narratur, qualiter illa vera forma iterum inventa sit, ubi primordia Reformationis in Marchia et vita Matthaei a Bascio, Pauli Clodiensis aliorumque Fratrum perhibentur. Agitur etiam de primo generali capitulo primisque Constitutionibus atque de priscorum Patrum agendi ratione circa vestitum, cibum, aedificia, etc. - Liber tertius describit originem Congregationis in Calabria, vitam PP. Ludovici et Bernardini a Rhegio methodumque vitae Fratrum illius regionis. - In quarto denique libro de primo generali capitulo Romae celebrato deque tribulationibus Ordinis praesertim ob Bernardini Ochini apostasiam disseritur.

Hanc *Tertiam Relationem*, sicut duae priores, fratribus, benefactoribus, religionisque devotis dicavit auctor (1), etsi de eius publicatione sollicitus non est (2). Sed iam an. 1584 Bernardinus a Colpetrazzo mandatum a Superioribus generalibus acceperat scripta P. Marii revisendi, ut prelo dari possent (3).

Locuturi iam de fontibus franciscanis historicis e quibus notitiae hauriuntur, statim lectorem monemus saepe eos allegari modo satis confuso, v. gr. ut referunt aliqua Chronica Ordinis, ut inveni scriptum, etc., pariterque gesta S. Francisci in pluribus fontibus descripta inveniuntur, quos Marius non citat, unde ii aptius in calce paginarum futurae editionis indicabuntur. Hos igitur fontes pro nunc omittimus; quos vero Marius expresse affert sunt sequentes:

1. *Documenta Summorum Pontificum*: Nicolai III, *Exiit qui seminat* (14 aug. 1279); Clementis V, *Exiit de paradiso* (6 maii 1312); Joannis XXII, *Quorundam exigit* (7 oct. 1317), *Ad conditorem canonum* (8 dec. 1322) (4); Clementis VII, *Universis et singulis* (8 martii 1526); *Litterae S. Paenitentariae* diei 18 maii 1526, *Religionis zelus*

dato principio, senza però stendersi a dir' se non obiter e con gravità li fatti de' frati particolari, mi par che questa parte si de' lassar à lui, avend'anco esso sin qui havuto quello, et ha scritto in questa parte soddisfatto molto bene et credo fedelmente, e spero così finirà di bene in meglio. BERNARDINO DA COLPETRAZZO, *op. cit.*, p. 11.

(1) Cf. *Cod. Venet.*, f. 3v-4r, 22v, etc.

(2) Cf. *ibid.*, f. 196r et *supra*, p. 567, nota 4.

(3) Cf. BERNARDINO DA COLPETRAZZO, *op. cit.*, p. 12-13; EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 3; FREDEGANDO D'ANVERSA, O.M.CAP., *La vita dei primi Frati Minori Cappuccini*, in *Liber Memorialis*, p. 134, Romae, 1928.

(4) Haec Bulla non invenitur in opere *Firmamentum trium Ordinum*, sicut tres priores, quo probabiliter Marius usus est. Cf. *Bull. Franc.*, t. V, p. 235, Romae, 1898.

(3 iul. 1528); *Breve seu Litterae S. Paenitentiariae* diei 11 sept. 1528, *Cum sicut accepimus* (9 apr. 1534); Pauli III. *Accepimus* (18 dec. 1534, 20 aug. 1539), *Nuper accepto* (12 ian. 1535), *Exponi nobis* (25 aug. 1536); Pii IV, *Pastoralis officii cura* (2 apr. 1560).

2. *Legenda trium Sociorum*. - Marius enarrat originem huius *Legendae* tempore Crescentii a Jesi (1) eamque adhibet, ut licitatem usus mantelli demonstret. « Quod usus mantelli fratribus licitus et conveniens sit, probatur ex *Legenda trium Sociorum*, quae asserit S. Franciscum eiusque socios mantellum cum habitu absque tunica gestasse. In eademque *Legenda* legitur Iesum Christum semel Beato Francisco apparuisse illique dixisse toto tempore vitae suae unica tunica et unico mantello ut velocissimum nuntium cucurrisset » (2). Fatemur tamen nos hunc textum in nulla editione *Legendae trium Sociorum* invenisse.

3. *Expositio Regulae Fr. Angeli Clareni*. - Etiam in hac *Relatione* citatur *Expositio* Angeli Clareni, ut furtum balsami causam perditionis Joannis Capella significet; attamen hoc loco factum paulo fusius explicatur (3).

4. *Gulielmus Ockham*. - Semel Marius meminit *Tractatum de paupertate contra errores Joannis XXII*, sed methodum ab auctore adhibitam non laudat (4).

5. *Expositio Regulae Fratrum Minorum per fratrem Hugonem ordinis eiusdem* (5).

6. *Liber Conformitatum*. - Ex pluribus locis constat Marium adhibuisse *Librum Conformitatum*, sed una vice tantum illum explicite commemorat et quidem Conformitatem decimam sextam, in qua de vestimentorum vilitate sermo est (6). Notare tamen oportet textum allatum in prioribus Legendis S. Francisci ad litteram quoque inveniri (7). Quanam vero ex duabus editionibus *Conformitatum* quae tempore Marii circumferebantur usus sit, difficillimum est determinare sive quia utraque convenit sive quia folia et paginas auctor noster non citat (8).

(1) Cf. *Cod. Venet.*, f. 164rv.

(2) *Ibid.*, f. 105r.

(3) Cf. *Cod. Venet.*, f. 219v-220r. Vide *supra*, p. 568.

(4) *Ibid.*, f. 32r. Cf. *Firmamentum trium Ordinum*, p. III, f. 87r-98r.

(5) *Ibid.*, f. 106r. Cf. *Firmamentum*, p. III, f. 32v-52v. Textus, quem Marius citat, habetur f. 36r.

(6) *Ibid.*, f. 105v.

(7) Cf. *II Cel.*, 39, ed. P. EDUARDUS ALENCONIENSIS, p. 223, Romae, 1906; *Speculum perfectionis*, n. 15, ed. P. SABATIER, Parisiis, 1898; *Expositio Regulae Fr. Angeli Clareni*, ed. LIV. OLIGER, p. 65.

(8) *Liber Conformitatum*, f. 168v, Mediolani, 1510; f. 150v, Mediolani, 1513; *Anal. Franc.*, t. V, p. 104, Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1912.

7. *Firmamentum trium Ordinum*. - Hoc praestantissimum opus miscellaneum plurimum ad *Tertiae Relationis* compositionem contulisse, ipsemet Marius testatur: *Firmamentum trium Ordinum opus nobis adeo utile* (1). Historia Ordinis generalis ex operibus huius compilationis magna ex parte hausta est. Qui propriis oculis dependentiam deprehendere velit, conferat diffusam disceptationem Capuccinos inter et Observantes Calabriae cum *Memoriali Ordinis* hac in collectione edito. Suo loco et tempore omnia singillatim exponemus (2).

8. *Constitutiones Ordinis Minorum editae Assisii... per R. in Christo patrem fratrem Gulielmum Farinerium*. - Laudantur hae *Constitutiones*, quia reassumens ordinationes S. Bonaventurae multum pro reformatione effecerunt (3).

9. *Dialogo della salute... con molte necessarie additioni, di novo ricomposto et ristampato*. Secunda redactio *Dialogi* Joannis a Fano quam Marius quoque novit (4), inedita remansit et tantum nostris diebus publicam lucem videt (5).

10. *Joannes Romaeus a Terranova*. - Sicut in secunda narratione fecerat, etiam nunc fatetur gesta Fratrum Calabriae a Fr. Joanne a Terranova accepisse, immo se prae manibus habuisse copiam cuiusdam scripti Fr. Joannis haec narrantis (6).

11. *Evangelista a Cannobio*. - Quid is scripserit de historia Ordinis, plane ignorant bibliographi (7); attamen Marius ait se vidisse parvum tractatum latine exaratum, qui quando et quomodo forma habitus S. Francisci deperdita sit, describit (8). Ipsi

(1) *Cod. Venet.*, f. 170v.

(2) *Singulare opus Ordinis Seraphici Francisci a Spiritu sancto approbati atque a S. Ro. ecclesia declarati, Fratribus Minoribus eorumque devotis perutile et necessarium (Quod Speculum Minorum seu Firmamentum trium ordinum intitulatur) tripartitum... Cuius aureas sententias in tabulis videbis. Et resecatis minus utilibus, et quampluribus necessariis additis, magna cum diligentia fideliter revisum*. Venetiis, 1513. Editionem Venetam huius celebris operis semel accurate citamus, quia ea utimur. Cf. *Arch. Franc. Hist.*, 1911, t. IV, p. 562; *Misc. Franc.*, 1928, t. XXVIII, p. 15.

(3) Cf. *Cod. Venet.*, f. 164v, 166v. Illae *Constitutiones* reperiuntur in *Firmamentum trium Ordinum*, ed. cit., p. III, f. 211r-223r.

(4) Cf. *Cod. Venet.*, f. 132rv.

(5) Cf. *Il « Dialogo della salute » del P. Giovanni da Fano, trascritto dal codice Cingolano, con prefazione e note del P. BERNARDINO DA LAPEDONA, O.M.CAP., in Italia Franc.*, 1935-1936, t. X-XI.

(6) *Cod. Venet.*, f. 179v. Vide *supra*, p. 568.

(7) Cf. BERNARDUS A BONONIA, *Bibliotheca scriptorum*, p. 81, Venetiis, 1747; FRANCESCO DA VICENZA, O.M.CAP., *Gli scrittori Cappuccini della Provincia Serafica*, p. 40-43, Foligno 1922.

(8) « Et anco il R.do Padre Frate Evangelista da Caubio, che è stato Generale et è praticissimo delle cose della Religione, havendola egli maneg-

comprobare non potuimus, num haec in opere: *Annotationes in Libros Decretalium*, quod impressum asserunt Mediolani an. 1591, inveniuntur necne.

12. *Bernardinus a Collepetraccio*. - Biographias quorundam Fratrum breviter Marius perstringit, quia de illis longius disserit Bernardinus a Collepetraccio qui tale munus susceperat (1). Hoc testimonium magni habendum est ad auctorem biographiarum, quae communiter sub nomine P. Hieronymi a Monteflorum citantur, detegendum.

Nunc agemus de codicibus *Tertiae Relationis*. Exemplar autographum vel saltem authenticum non invenimus. Quatuor codices, quos infra describimus, etsi substantialiter inter se conveniunt, ad duas familias pertinent ut ex omissionibus aut additionibus communibus ianotescit. *Codices Venetus* (= V) et *Vindobonensis* (= W) ab uno stipite provenire videntur, ab alio vero *codices Lugdunensis* (= L) et *Neapolitanus* (= N). Mutua horum dependentia nullo modo probatur.

Codex V est omnium antiquissimus et forte ex ipso autographo exscriptus. Porro fidelitas vel authenticitas quodammodo roboratur eo quod ipse Minister Generalis cum secum ferebat. Scriba, quoties verbum aut verbi syllabam non intelligebat, potius quam illa subiective interpretari, sufficiens spatium vacuum relinquebat. Ipsa facilitas seu quasi ingenuitas transcriptionis suadet conformitatem cum textu primigenio. Nobis igitur maiorem codex V mereretur fidem quam alii codices. Codex W, qui eundem archetypum secutus esse videtur, imperite in his quae grammaticam attinent textum reddit. Lectiones vero variantes alicuius momenti utriusque codicis sunt fere semper caedem.

Ter vel quater codices L et N a lectione codicis V discedunt (2). Cuinam tunc fides praestanda? Praemittimus has mu-

giata molti e molti anni, n'ha fatto in lingua latina un picciolo e ben accomodato tratatello, dove mostra che al tempo di esso Papa Giovanni e non innanzi fusse levato via questo nostro capuccio ». *Cod. Venet.*, f. 3r.

(1) « Chi vuol... sentire cose tali legga gli scritti del R.do P. Fra Bernardino da Calpetrazzo, che di lui e d'altri Padri nostri distesamente describe il tutto... Esso P. Fra Bernardino dimostra benissimo il gran numero degli altri buoni e ferventi servi di Dio e veri imitatori del Seraffico Padre S. Francesco, che furno nella provincia dell'Umbria. Alla sua historia dunque mando chi saper vuole la particolare vita loro e di altri ancora ». *Cod. Venet.*, f. 129v-130r.

(2) Conferri possunt: *cod. V*, f. 31v et *cod. N* et *L*, f. 29r; *cod. V*, f. 78r-80v et *cod. N*, f. 65rv, et *L*, f. 71v-72v; *cod. V*, f. 83v-85r et *cod. N*, f. 67v-68r et *L*, f. 75rv.

tationes potius scriptori archetypi quam scribae codicum tribuendas esse. Mirum sane foret, duos amanuenses independentes in eodem textu easdem lectiones variantes inducere. In hoc casu codices L et N textum contrahunt et emendatiorem reddunt. Aliquando hae mutationes explicari possunt eo quod tempore transcriptionis res a Mario relatae veritati non respondebant. Exempli causa, codices L et N omittunt textum, in quo Marius asserit se annum agere septimum supra sexagesimum et Congregationem spatio 54 annorum iam exstitisse (1) Ecquidem alibi data chronologica originis Reformationis non praetereunt, at tamen studiose omittunt incisum: ut dixi supra (2). Ceterum uterque codex L et N refert in titulo Narrationis hanc scriptam esse « a P. Mario Seniore a Foro Sarsinio », forse ut auctor distingueretur a Jacobo a Foro Sarsinio, qui tempore transcriptionis archetypi Ordinem regebat vel regerat. Solus Codex L initio cuiuscumque Libri titulum praeponit, qui certe sensum divisionis operis in introductione expositum (3) exprimit, sed qui a scriba additus esse videtur.

His dictis, ad descriptionem codicum transeamus.

1. — CODEX VENETUS.

Hic codex asservatur hodie in *Archivo Ord. Min. Cap. provinciae Venetae*. Est codex chartaceus pelle religatus super chartam compressam; s. XVI (an. 1581-1582); 150 : 195 mm.; [1] 257 [2] ff. Colligatio, quae in angulis externis simplicibus decoratur ornamentis, posteriore tempore confecta est uti liquido apparet ex abscissione foliorum, quae in margine superiore numeros paginarum, in inferiore autem aliquas notulas illegibiles reddidit (cf. f. 83rv, 151 sq.). Exemplar ab unica manu exscriptum est; singulae paginae 21 lineis constant. Scriptura est clara, nitida, regularis; quandoque litterae initiales simplici artificio ornantur. In orthographia adhibenda constantem scriptor sese non praebet. Unum idemque verbum multifarie exscribitur. Neque interpunctio videtur constantior esse: punctum, virgulae, etc., regulam fixam non sequuntur, immo arbitrarie adhibentur. Consequenter usus grandium et minutorum litterarum variabilis est. Transcriptio, quantum ex aliis codicibus conicere possumus, satis fidelis et originali conformis est. Inscriptio, quae olim in dorso habebatur, iam legi non potest. In folio 1 non num. invenitur haec signatura: *IIIS/ Archiv: A/ Colto: M/ Busta: —/ Fascio: lib^o I.*

Manuscriptum continet solummodo *Tertiam Relationem* Marii sub hoc titulo generali: *Narratione dell'origine della congregazione de' frati capuccini, / cioè, come, quando, dove, e da chi ella hebbe il suo principio. / Composta dal molto R.do Padre Fra Mario da Mercato / Seracino, del medesimo ordine, del quale fu Generale / egli anni sei. /*

Res in codice contentae ita distribuuntur:

(1) Cf. *cod. V*, f. 79v, *cod. N*, f. 65, *cod. L*, f. 72.

(2) Cf. *cod. V*, f. 99v, *cod. L*, f. 90r.

(3) Cf. *cod. V*, f. 5r.

Fol. 1r-43r. [*Libro Primo*].

Inc. (fol. 1r): *Nacque fra santi suoi alti pensieri nella mente al gran Duca di Toscana.*

Expl. (fol. 43r): *nella viva divotione delle genti, così in cielo sia grato à santi Angeli et alla Maestà divina.*

Fol. 43r-116r. *Libro secondo. Dell'origine della congregatione de frati capuccini.*

Inc. (fol. 43r): *Non già mai il clemente e pietoso Dio, vero Padre di misericordia.*

Expl. (fol. 116r): *et in gran preggio son tenuti che fanno quanto è loro debito, e vògliano i beni accomodati ordini nostri.*

Fol. 116r-186v. *Libro terzo.*

Inc. (fol. 116r): *Si vede essere difficil casa, e s'io dicesse impossibile non mi allongarei dal vero.*

Expl. (180v): *tenendo per quanto più potevano le vestigia sante del benedetto Padre S. Francesco.*

Fol. 186v-257v: *Libro quarto.*

Inc. (fol. 186v): *Qual penna, qual lingua, qual' intelletto potrebbe scrivere, parlare, e comprendere.*

Expl. (257v): *goderlo nell'altezza del suo Santissimo Monte Sion, dov'egli col Padre e con lo Spirito Santo vive e regna ne secoli sempiterni. Amen. Il fine.*

Fol. 257v. P. Honorius Venetus hanc notulam scripsit manu propria: *Laus Deo 1582. Il Molto Rdo Padre Frate Giovanmaria Ciciliano da Tussa Generale, mi concesse questo libro del 1582, et io (l'acceptai con molto mio contento spirituale) Frate Honorio da Venetia sacerdote et capuccino, benchè indegno. Et è ad uso de tutti gli miei Padri et Fratelli in Christo Capuccini di san Francesco.*

Fol. 258r n. n. Alia manus addidit: *Fu ritrovato questo libro con molto gusto spirituale nel logo di Verona ne la morte del Padre fra Illuminato da Verona sacerdote capuccino ne la sua morte la quale fu a li 20. di marzo 1613. Laus Deo. Verona Capuccini.*

Fol. 258v n. n. Alia manus recentior scripsit formulam quandam « benedictionis sive terroris » contra tempestatem et turbinem.

Fol. 259rv n. n. Est omnino vacuum.

In codice, quem descripsimus, plures notae marginales inveniuntur, quae generatim summarum continent eorum quae narrantur. Saepè indicantur quoque sive inter lineas textus sive in margine eiusdem datum chronologicum cuiusdam eventus vel nomina propria personarum, quarum munera solummodo textus significat. Annotationes sive correctiones alicuius momenti raro occurrunt (1). Collationes vero foliorum, quae hinc inde leguntur, clare ostendunt aliquem nostrum codicem studuisse eoque forsitan usum esse ad opus novum conscribendum. Aditamenta, de quibus nunc loquimur, omnia una eademque manus apposuit.

Ex notis f. 257v-258r, quas ipsi transcripsimus, colligitur tempus compositionis codicis. P. Joannes Maria a Tussa, qui eum an. 1582 P. Honorio a Venetiis donavit, electus est Vicarius Generalis die 12 maii an. 1581 (2), eodem fere tempore quo Marius e vita decedebat (3). P. Honorius professionem religiosam emisit die 29 sept. an. 1566 su-

(1) Cf. fol. 47v, 63r, 73v-74r, 83r.

(2) Cf. *Annales*, t. I, an. 1584, p. 95-103; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1889, t. V, p. 104, 105; 1905, t. XXI, p. 312; ANTONINO DA CASTELLAMMARE, O.M.CAP., *Storia dei Frati Min. Cappuccini della Provincia di Palermo*, t. I, p. 152-155, Roma, 1914.

(3) Cf. *supra*, p. 557.

premumque diem obiit an. 1607 (1). Eo mortuo codex in usum venit P. Illuminati a Verona atque in conventu illius civitatis inventus est tempore mortis eius, scil. die 20 martii an. 1613 (2).

Nostro codice abunde usus est P. Gerardus a Villafranca, O.M.Cap., in laudato opere: *P. Matteo da Bascio e P. Paolo da Chioggia (Studio sulla loro vita)*, Chioggia, 1913. Is enim quaecumque Marius de nostris antesignanis refert, in opere suo transcripsit ad litteram. Quae quidem transcriptio non est omnino fidelis, etsi sensum auctoris prodit.

Idem P. Gerardus ex codice Veneto apographum scripsit, quod dono dedit Archivo nostro Generali (3). Apographum absolutum est die 7 apr. 1907, et signatur *Arm. A. II 27*; constat 185 paginis duplici columna exaratis, 200-226 mm. Scriba, qui scienter primum librum omisit, testatur se fideliter codicem exscripsisse. Directe ex hoc apographo (liber primus ex cod. Veneto) facta est an. 1929 alia copia, quae item in Arch. Generali Ordinis custoditur.

2. — CODEX VINDOBONENSIS.

Hunc codicem non ita pridem Vindobonae invenimus in *Haus-Hof-u. Staats Archiv*, ubi hac signatura distinguitur: *Böhm (W. 544)*. Est codex chartaceus (230:330 mm.) plenis paginis ex utraque parte scriptis (c. 44 lin.) exaratus versus finem saec. XVI vel initium sequentis. Constat [2] 113 [7] ff., manu recentiore numeratis, atque septem fasciculis seu quadernis colligatis tenuique tegumento membranaceo super chartam compressam coopertis. Aversa tegumenti membranacei facies avulsa est. In dorso legitur haec inscriptio: *N. ar[ratio]ne in scritto dell'origine de Padri Capucini*.

Codex nihil aliud continet praeter *Tertiam Relationem* P. Marii et quidem integram. Praecedunt folium custodiae et duo folia pura, non numerata. Textus incipit fol. 1r et protrahitur usque ad fol. 113v. Septem ultima folia ultimi quaderni, absque numeratione, pura inveniuntur.

Fol. 1r: *Narratione dell'origine della Congregazione de frati Capucini Cioe Come, Quando, dove e da chi / ella hebbe il suo principio. / Composta dal Molto Rdo. Pre. Fra Mario da Mercato Saracino, del medesimo ordine, del qu / ale fu generale egli anni sei. /*

Fol. 1r. *Alli lettori.*

Fol. 1r-21r. *Del'Origine de frati Capucini: libro primo.*

Inc. (fol. 1r): *Già due anni sono, il medesimo desiderio cadde nel core del Ill.mo et Rev.mo Monsr. Padre nostro e nostro Protettore (4).*

Fol. 21r-53r. *Libro secondo. Del origine della Congregazione de frati Capucini.*

Fol. 53r-82r. *Libro terzo dell'origine de frati Capucini.*

Fol. 82r-113v. *Libro quarto.*

Scriptura codicis non est elegans. Aliquando prima paragraphorum littera quodam artificio conficitur. Scriba, quisquis ille est, ostenditur imperitus, uti ex inconsiderata verborum interpretatione vel verborum compendiorum, quae forte in exemplari archetypo obscura erant, apparet, v. gr. gridato = gradito, grossezza = longezza, essendo = scen-

(1) Cf. GERARDO DA VILLAFRANCA, *P. Matteo da Bascio e P. Paolo da Chioggia*, p. II, not. 4, Chioggia, 1913.

(2) Cf. *Necrologio dei Frati in Cappuccini della provincia Veneta di San'Antonio*, t. I, p. 80, Venezia, 1910.

(3) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 3, not. 1.

(4) *Explicit* huius libri sicut *incipit* et *explicit* aliorum cum *codice Veneto* conveniunt, ideo brevitate causa illa omittimus. Idemque dicendum erit de aliis duobus codicibus.

dendo, profunda = profana, ribandisse = benedisse, etc. Interdum omissiones ex homoioteleuto inveniuntur, nec desunt singulorum verborum omissiones. Interpungendi signa semper apta non sunt.

Nunc archetypum huius copiae, quam inspicimus, fuerit textus originalis ipsius Marii, dicere non audemus, sed certe transcriptio a nullo ex codicibus, quos novimus, pendet.

Lectiones variantes, omissiones vel additiones in relatione ad codicem Venetiarum, praeter eas quae ex imperitia scribae proveniunt, sunt paucae neque magni momenti, si unam aut aliam excepias. Frequentiores occurrunt variantes orthographiae et interpunctionis, quae tamen omnes facile intelliguntur. Postillae seu notae marginales desunt omnino.

Quod ad nomen scribae attinet et ad tempus et locum, quo exscriptio facta est, nullum ex ipso codice indicium haurire potuimus. Nihilominus modus scribendi amanuensem saec. XVI ad finem vertentis revelare videtur.

Quomodo et quando codex ad sedem hodiernam pervenerit, nos latet. Forsitan unus e praedicatoribus capuccinis italicis, qui ad regiones illas ratione ministerii sese contulerunt, quique cum aula imperiali familiaritatem habebant, illi dono dedit.

3. — CODEx LUGDUNENSIS.

Codex chartaceus *Bibl. Communalis* Lugduni signatus *n. 1354* (antea 1225) pergamena colligatus; 100:130 mm. Olim quatuor claudabatur linis, ex quibus duo tantum remanent. Codex exhibet apographum versus finem saec. XVI effectum; constat 236 ff. (ad. 28a, 56a, 148a). Paginatio a recentiore scriba addita est. Tria folia, scil. 38a, 56a, 148a, absque numeratione praetereuntur. Folium 39, quod libros primum et secundum dividit, est omnino purum. Item fol. 235. In fol. 236 textus abrumpitur, quia cetera folia abscissa sunt. Unaquaeque pagina 29 lineas comprehendit.

In dorso codicis legitur: *Manuscrits / 1225 / Delandine /*, i. e. antiqua signatura; insuper: *Manuscrits / 1354 / Desvernay et Molinier /*, i. e. signatura hodierna.

In parte superiore fol. 1r alia manus inscriptionem gallice scriptam posuit, quae tempore corrosa fere iam non legitur: *Narra[ti]on de l'origine de la Congregation des [Freres?] / Capucins faite par un [pere?] du mesme temps*. Dein sequitur: *Narratione dell'origine della Congregatione de / Frati Cappuccini: cioè, come, quando, / dove, et da chi ella hebbe il / suo principio /*.

Composta dal molto R.do P.re Fra Mario Vecchio da / Mercato Saracino del medesimo ordine.

Praeter *Tertiam Relationem* Marii continet quoque hic codex fragmentum epistolae P. Bernardini Astensis ad Fratres provinciae Bononiae.

Fol. 1r-38av. [*Libro Primo*] (1).

Fol. 38av. *Fine del primo Libro.*

Fol. 40r-105v. *Libro secondo. Nel quale si trata; come quest'habito; et capuccio si sia rihavuto.*

Fol. 106r-170v. *Libro terzo. Nel quale si trata; come il pietoso Dio cominciò la medesima riforma ne la Calavria; et qualmente, quei padri s'unirono con quelli della Marca.*

Fol. 170v-234r. *Libro Quarto. Nel qual' si ragionara del primo Capitolo celebrato in Roma; e come et quanto il Signor et Salvator nostro aiutasse la Congregatione.*

(1) Cf. *supra*, p. 577, nota 4.

Fol. 236rv. *Litera del Rdo p. fra bernardino dasti Generale della Congregatione d' frati Minori Capuccini, scritta alli predetti frati della provincia di Bologna nel'anno 1548 a li 15 di giugno.*

Ine. (f. 236r): *Venerandi padri fratelli e filiuoli in christo Giesu Dilectissimi salutem. Alegrative sempre nel signore.*

Expl. (f. 236v): *delli quali non apartiene a noi di giudi...*

Pars codicis, quae *Relationem* Marii continet, ab una eademque manu exarata est typis valde claris et distinctis. Magna pars codicis in angulis partis superioris propter humiditatem, uti videtur, aliquatenus corrosa est, sed adhuc bene legitur. Solum aliquae lineae folii 56 difficile interpretantur.

Adnotationes marginales desunt. Unice fol. 210r, ubi magna digressio abrumpitur, iterumque de Bernardino Ochino redit sermo, manus posterior ad marginem posuit: *De frate Bernardino da Siena Generale, et fol. 191r eadem manus item ad marginem scripserat: Elezione del Padre Frate Bernardino da Asti.*

Fragmentum *Epistolae* Bernardini Astensis ab alia manu scriptum est (1).

Ex ipso codicis examine nullam haurire potuimus notam personalem, qua scribam noscere possemus. Diximus iam ipsum scribendi modum manum saec. XVI ad finem vertentis revelare. Quia *Litterae circulares* P. Bernardini Astensis Fratibus provinciae Bononiae directae sunt, iudicari potest hunc codicem quondam in aliquo huius provinciae conventu fuisse.

4. — CODEX NEAPOLITANUS.

Codex miscellaneus chart. s. XVI-XVII (1584-1623) pergamena reli-gatus; 195:155 mm.; [5] 319 ff. In *Bibl. Nationali* Neapolis signatur *Ms. IX. F. 57*. Codex a pluribus amanuensibus exaratus est. Scriptura *Relationis* Marii est uniformis in eaque abundant notae marginales compendium in textu contentorum referentes. Textus ipse magis *codici Lugdunensi* quam *codici Veneto* cohaeret.

In dorso legitur: *Croniche del R. P. F. Mario.*

In interiore tegumenti parte: *Aparve la B (?) V. M. alla morte di f. Francesco da Cartoleto (sic.), 2° capuc.° fol. 52.*

Fol. 1r n. n. *Ad uso de fra Bonaventura da Virola con licenza de' Superiori. Della Provincia di Brescia.*

Fol. 2r n. n. (alia manus) *Loci SS. Petri et Marcellini, eo pacto ut a nemine inde auferatur.*

In eodem folio: *Sigillum: Bibliothecae Capuccinorum Conceptionis Neapolis.* Atque hinc inde imaginis Immaculatae: *Biv. Nov.*

In eodem folio aliud sigillum: *Biblioteca Nazionale di Napoli.*

Fol. 2v n. n. (manus codicis): *F. Lodovico fossembruno essendo con li frati suoi a S. Lorenzo for di Roma per non agravare (?) il loco, mando in diverse provincie frati et tutti pigliorno lochi [inter lineas], questo anderebbe fol. 154.*

Fol. 3r-5r n. n. (manus codicis): *tavola delle cose notabili che sono in tutta questa opera.*

(1) *Litterae encyclicae* P. Bernardini editae sunt ad fidem codicis *Chronicorum* Pauli Salodiensis, in *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1908, t. XXIV, p. 20-21. Secundum hunc codicem litterae datae sunt Castris Joannis ad Fratres Provinciae S. Angeli die 6 iun. 1548. Fragmentum earumdem litterarum invenitur apud ROCCO DA CESINALE, O.M.CAP., *Storia delle missioni cappuccine*, t. I, p. 31, Parigi, 1867.

Ultima linea fol. 5r: *luoghi pigliati nella Provincia di Brescia [f.] 199, est P. Bonaventurae a Verola.*

Fol. 5v n. n. (alia manus): *Scansia E. num. p.º libro 12 sup.^{is}*

Fol. 1r. *Narratione / dell'origine della cong / regatione de frati / cappuccini / cioe, come, quando / dove, et da cui, / ella hebbe il / suo principio / composta da frate / Mario Vecchio / da Mercato Sa / racino del / medemo / Ordine / Racopiata nel luoco di Crema alli 24 de Xmbre del 1584.*

Post *Ordine* probabiliter ab ipso scriba, sed alio charactere scriptum est: *qual è statto Vicº Generale di tutta la Congregatione 6 anni.* Similiter post 1584 ab eadem manu scriptum est: *di ordine de fre Luciano da Brescia Guardº di esso loco.*

Fol. 1r-198v. *Textus Relationis.*

Fol. 1r-34v. *Libro primo (1).*

Fol. 29r. Spatium quoddam vacuum reperitur, ibique tenuiter scriptum legitur: *Ragioni che che.* Dein sequitur textus.

Fol. 34v-93r. *Libro secondo.*

Fol. 93r-144v. *Libro terzo.*

Fol. 144v-198v. *Libro quarto.*

Fol. 198v. *Laus Deo Virgini Mariae et Seraphico Patri nostro Francisco.*

Fol. 199r (manus P. Bonaventurae): *Luoghi pigliati nella Provincia di Brescia.*

Fol. 199v. Purum.

Fol. 200r-202r (manus P. Bonaventurae): *Nome, cognome, Patria delli Ill.mi Sig. Cardinali hora vivi.* Et ad marginem: 1621. Et quidem ultimus nominatur Augustinus Spinola electus 1621, die 11 januarii, ut ibi legitur. Eadem manus scripsit diem electionis Pontificum Pauli V, Gregorii XV, Urbani VIII (1623).

Fol. 202v. Purum.

Fol. 203r-241r (manus scribae codicis): *Molte cose pertinenti alla dichiarazione della Regola de Frati Minori extratte dal Dialogo sopra la Regola per il R.do P. Fre. Gioanne da Fano composto nel tempo che era nella religione capuccina. Fr. Gioanni da Fano dell'ordine minore capuccino Al R.do. P. Fre. Bernardino d'Aste, della detta congregatione Vicc.º Generale Debita Reverenza et salute, etc.*

Inc.: *Scorrendo la sacra et Divina scrittura...*

Expl.: *Secondo l'autor del libro chiamato speculum fratrum minorum concordu il P. Bernardino.*

Commentariolum hoc est mancum. Continet excerpta quaedam ex Joanne a Fano et Joan. Maria a Tusa ad cap. 1, 2, 3 Regulae attinentia. Omnia tamen personali exponuntur modo, ita ut dici non possint *Dialogus P. Joannis Fanensis* esse.

A f. 210 ad f. 229 paginatio duplex habetur; quae ab ipso scriba scripta et deleta iterum est, ut secundam apponeret, currebat a f. 280 ad f. 300. Confusio probabiliter orta est ex eo quod loco 210 scripsit 280.

Fol. 241v. Purum.

Fol. 242r-250r (alia manus elegantior): *Dechiaratione di Papa Clemente quinto sopra la Regola de Frati Minori volgarizata.*

Nel nome del Signore et Dio nostro Jesu Christo Incomincia la dichiarazione di Papa Clemente quinto sopra la Reg. de Frati minori. Volgarizata.

Fol. 250v (eadem manus): *Dechiaratione di Papa Nicolao Tertio sopra la Regola de Frati minori volgarizata.*

Solum hic titulus reperitur.

(1) Cf. *supra*, p. 557, nota 4.

Fol. 251r-259v. Pura, sed a manu scribae codicis numerata.

Fol. 260r (alia manus): *Divi Severi Episcopi Neapolitani Vaticanum mirandum.*

Inc.: *Sole intrante Taur. Anni 1591.*

Expl.: *Magna conflagratione et terremoto tuorruet.*

Est visio quaedam apocalyptica qua devastatio Italiae praenuntiatur, ita tamen ut tandem bestia devastans baptizetur.

Fol. 260v. Purum. Sequitur fol. 283 item purum.

Fol. 283v (manus priorum Bullarum): *Traduzione Letterale della costituzione della F. e memoria de Nicolo III circa la Regola del N. P. S. Franc^o registrata nel sesto delli decretali nel Libro quinto capitolo 3^o qual incomincia Exiit etc. Si tralascia il principio della costituzione per brevità per esser impertinente al intento nostro ma s'incomincia il § « nos autem » etc.*

Incomincia adonque « Exiit qui seminat seminare semen suum » et si tralascia sino al Paragrafo « nos autem ».

Fol. 292v-299v (eadem manus): *Traduzione della Clementina Exiit de paradiso. Sopra la Regola de Frati Minori nel sesto de Decretali.*

Inter f. 298 et 299 invenitur folium purum pagina 317 indicatum.

Fol. 318r-319v (nova manus): *Copia d'una lettera dal R. P. F. Matthia ad un Novitio essortatoria à consequir l'humiltà.*

Epistola haec est manca.

Fol. 300r-307r (sic) (alia manus): *Copia, ovvero Transunto della Bolla del S. mo Sr. N. PP. Pio III della Confirmatione de Privileggi concessi da Paulo III de felice memoria et altri Romani Pontefici a Frati Minori chiamati Capuccini. In nome della Santa et individua Trinità Padre, Figliuolo e Spirito Santo. Amen.*

Authenticatio huius instrumenti facta est ad instantiam Vicarii Generalis Capuceinorum die 28 iunii 1560 ab Alphonso Card. Carafa cum titulo SS. Joannis et Pauli.

Fol. 307v. Purum.

Fol. 308r-309r (manus scribae codicis): *Nomi Delli Generali che successe (sic) al P. S. Francesco.*

Ultimus qui nominatur est Gundisalvus a Valbona.

Fol. 309v. Purum.

Fol. 310r-314v (eadem manus): *Nomi de tutti li Generali Capucini et a che tempo furno elletti (1).*

Catalogus continet nomina 15 priorum Vicariorum Generalium, indicationem temporis capituli et iudicium breve de unoquoque eorum. Primus est Matthaeus a Baseio, novissimus autem Hieronymus a Sorbo.

Fol. 315r. Purum.

Fol. 315v (alia manus recentior): *Per far la vernice per le figurine miniate.*

Paucis lineis indicatur methodus adhibenda.

Ex hac diffusa descriptione ea colligamus elementa, quae historiam codicis illustrare possunt. Apographum igitur conscriptum est Cremae an. 1584 iussu P. Luciani a Brixia, qui munere guardiani illius conventus fungebatur. Is P. Lucianus (1548-1618), qui spatio circiter 37 annorum educationi iuvenum religiosorum incubuisse fertur (2), die 1 maii an. 1612 ex loco La Badia, prope Brixiam, epistolam ad P. Jacobum Salodiensem mittebat, sed cum morbo maligno lecto teneretur, eam scri-

(1) Opportune hunc catalogum edemus et commentariis illustrabimus.

(2) VALDIMIRO BONARI DA BERGAMO, O. M. CAP., *I conventi ed i Cappuccini Bresciani*, p. 189, Milano, 1891; *Necrologio dei Frati Min. Cappuccini della Provincia di S. Carlo in Lombardia*, p. 39, Milano 1910; BERNARDUS A BONONIA, *Bibliotheca scriptorum*, p. 172.

bere fecit Fr. Joanni Bastistae Brixinensi (1). Huius epistolae auxilio scriptorem *coticis Neapolitani* invenire potuimus, qui alius non est quam praefatus Joannes Baptista, uti ex collatione epistolae, quae in Archivo Prov. Capuccinorum Tusciae autographa servatur, cum apographo *Bibl. Nat. Neap.* cuique perspectum erit.

Codex cessit in usum P. Bonaventurae a Verola (2), qui propria manu aliqua addidit (f. 199r, 200r-202r). Dein eum accepit Boverius eoque usus est in compositione *Annalium* (3), et probabiliter occasione alicuius itineris Neapolin reliquit (4). Tandem non ita pridem Josephus a Monte Rotondo hoc eodem codice affatim usus est (5).

5. — ALII CODICES.

Descripsimus modo omnes codices nobis notos. Sunt vero alii quorum existentiam quidem novimus, utrum autem vel ubi nam hodie serventur discere adhuc non potuimus.

a) Florimundus Raemundus, disserens de haeresibus saec. XVI, loquitur quoque de Bernardino Ochino et hac occasione sequentia refert: « est penes me libellus italica lingua scriptus, cuius titulus hunc sensum profert: *Narratio in qua fideliter exponitur quomodo reformatio Fratrum Capuccinorum Ordinis S. Francisci initium ceperit. Composita a Reverendo admodum P. F. Mario de Mercato* » (6). Cum certitudine autem asserere non audemus sermonem heic esse de *Tertia* potius quam de *Secunda* P. Marii *Relatione*.

b) Franciscus Longus a Coriolano, O.M.Cap., qui anno 1623 *Breviarium chronologicum* Lugduni typis edebat, usus est « Chronica quam, ait ille, ad Illustrissimum D. Cardinalem S. Severinae tunc Protectorem [Marius] misit, et quae apud me manuscripta servatur » (7). Quem vero codicem in sua narratione adhibuerit, perdifficile est determinare, nam neque verba textus refert neque folia codicis citat. Constat tamen eum prae manibus habuisse *Tertiam Relationem* Marii, quia solummodo in ea late describuntur historia antipapae Petri a Corbario (Nicolaus V) et vicissitudines capucei oblongi, de quibus auctor in locis citatis loquitur.

(1) *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1908, t. XXXIV, p. 26-27.

(2) Memoria huius religiosi non invenitur in *Necrologio* Provinciae Mediolanensis, sed constat eum pluries guardianum exstitisse. Cf. VALDIMIRO BONARI, *op. cit.*, p. 644 ss.

(3) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 3, not. 1.

(4) Cf. APOLLINARIS A VALENTIA, O.M.Cap., *Bibliotheca scriptorum FF. Min. Cap. Prov. Neapolitanae*, p. 75, Neapoli, 1886.

(5) GIUSEPPE DA MONTE ROTONDO, O.M.Cap., *G'finisi dell'Ordine Cappuccino e della provincia Romana*, p. 10, nota, Roma, 1910.

(6) *Historia de ortu, et progressu, et ruina haereseon huius saeculi.... e gallica lingua in latinam conversa*, p. 352, Coloniae, 1614.

(7) Cf. *Breviarium chronologicum Pontificum et Conciliorum omnium quae a S. Petro ad haec usque tempora celebrata sunt*, p. 362, 370, 392, Lugduni, 1623. Auctor tempore compositionis sui operis Romae degebat.

c) Gabriel a Mutiliana, O.M.Cap., historiae seraphico-capuccinae cultor praeclarus, in quodam suo opere semel testimonium Marii adhibet hisce verbis: *Mar. da Mercatosarac. P. 2. f. 27. Bibl. Pro. Bon. Cap.* (1). Dicere non dubitamus citationem mendosam esse. Quaestio enim ibi est de tribulationibus, quae ob Bernardini Ochini apostasiam Capuccinorum exitium minabantur; iam vero de iis Marius agit solummodo in libro IV *Tertiae Relationis* (circa finem). Difficile igitur apparet codicem, quo Gabriel Mutilianensis usus est pressius dicere. Ex allata auctoritate hoc unum affirmare possumus: Medio saeculo XVIII (an. 1756) Bononiae in bibliotheca Capuccinorum servabatur codex tertiae Relationis Marii a Foro Sarsinio, qui forsitan ille est quem meminit Bernardus a Bononia (2).

Praetermissis auctoribus quorum opera nondum lucem viderunt, illi tantum nunc recensentur, qui in libris editis *Tertia Relatione* Marii usi sunt.

An. 1570 prodibat Salmanticae lingua hispana exarata pars tertia *Chronicorum* Marci Ulyssiponensis (3). Pauca quae haec editio princeps de origine Minorum Capuccinorum continet, tribuenda esse fertur Francisco a Cannobio, O.M.Cap., cuius scripta ad manus dicti Marci tempore peregrinationis suae scientificae per Italiam pervenerunt (4). Narratio Marci Ulyssiponensis valde adaucta est in prima versione italica Venetiis edita an. 1591, interprete Horatio Diola (5). Fons et auctor interpolationis diu latuerunt. Nostrum non est hanc historiam retexere, cum alii sint qui hoc optime perfecerunt (6). Interpres italus, i. e. Horatius Diola, cives bononiensis, « certo certius morem gerere voluit Min. Capuccinis,

(1) Cf. *Narrazione sincera e generale del principio, progresso e stato presente di tutta la serafica Religione Cappuccina*, p. 34, Venezia, 1756.

(2) Cf. *Bibliotheca scriptorum*, p. 182.

(3) Cf. ANDRÉS IVARS, O.F.M., in *Arch. Iber. Amer.*, 1923, t. XX, p. 124-125.

(4) EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 6-7, nota 1. Textus primigenius editionis hispanae editus est ab eodem P. EDUARDO, in *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1928, t. XLIV, p. 45-49.

(5) *Delle Chroniche de Frati Minori del Serafico P. S. Francesco. Parte Terza divisa in dieci libri. Nuovamente ordinate e cavate da Libri e Memoriali dell'Ordine, da Fra Marco da Lisbona... Et hora tradotte di lingua spagnuola nella nosira italiana dal Sig. Horatio Diola Bolognese...*, lib. IX, fol. 303r-311v, Venetia, 1591.

(6) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Quid de origine Ordinis Minorum Capuccinorum et de Mathaeo a Bascio scripserit Marcus Ulyssiponensis?*, in *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1928, t. XLIV, p. 42-49; Auctores novissimae editionis *Annalium WADINGI*, t. XVI, p. 778-788, Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1933.

qui ipsi materiam suppeditarunt, excerptam ex opere manuscripto Marii a Foro Saraceno..., cuius verba saepe recitat » (1). Prolixum additamentum haec fere continet: vitam Fr. Matthaei, gesta Fr. Ludovici usque ad capitulum Alvacinae, vitam Pauli Clodiensis, capitulum Alvacinense, adventum quorundam ex praeis patribus. Accurata utriusque textus collatione peracta ad hanc devenimus conclusionem: Quae in editione italica *Chronicorum* Marci Ulyssiponensis interpolantur de historia Capuccinorum ad verbum fere excerpta sunt ex *Tertia Relatione* Marii, *cod. Venet.*, f. 48v-85r, 92, 93, 94, 95. - Porro quod interpolator usus sit *Tertia* et non *Secunda Relatione* ex eo patet, quod vocationem Ludovici Forosempronensis vel in minimis particularitatibus descriptam illa solum refert; item Breve 11 sept. an. 1528 sola *Tertia* meminit. In ceteris utraque *Relatio* convenit. Cum igitur scriptores qui nostri Ordinis primordia descripserunt, narrationis fidem in Marcum Ulyssiponensem regunt, idem est ac auctoritatem P. Marii adducere, ex quo capite oportet quoque eius influxum considerare.

Auctor *Chronicorum*, quae nomine Rufini a Senis, O.M.Cap., nuper edita sunt (2), partem suae narrationis, ipso fatente, ex *Relationibus* Marii mutuavit (3). Profecto semper ac auctoritatem Marii citat, eius litteras ad P. Honorium meminit, sed ex textibus allatis clare constat nec *Primam* nec *Secundam* sed *Tertiam* adhibuisse *Relationem*. Rufinus a Senis, cui *Chronica* tribuuntur, e vivis sublatus est die 11 decembris an. 1626 (4), sed pars historica descriptionis usque ad an. 1596 solummodo protrahitur.

Etiam Franciscus a Coriolano, O.M.Cap., pro *Historia Conciliorum* notitias hausit ex hac *Tertia Relatione*, ab eaque excerptis tribulationes Ecclesiae et Ordinis franciscani tempore Joannis XXII, originem Capuccinorum, etc. (5).

« Marius a Foro Sarsinio, vir gravissimus » « egregium quoque volumen manuscriptum edidit, in quo Religionis nostrae exordia et quae in ea graviora accidere usque ad annum 1570 satis accurate

(1) EDUARDUS ALENCONIENSIS, *art. cit.*, p. 44.

(2) *I Frati Minori Cappuccini nel primo secolo dell'origine*. Manoscritto dell'epoca finora inedito con introduzione e note del P. SISTO DA PISA, O.M.Cap., in *Italia Franc.*, 1926-1935, t. I-IX.

(3) « Incominciano le croniche, origine e principio della Riforma della Religione dei frati minori del seraphico Padre S. Francesco detta de capuccini scritta in parte dal R.do P. fra Mario dal Mercato Saracino... ». Cf. *Italia Franc.*, 1926, t. I, p. 33. Vide *infra*, p. 585.

(4) Cf. ALOYSIUS A FORANO, O.M.Cap., *Necrologium Seraphicum patrum et fratrum Ordinis Min. S. Francisci Capuccinorum Almae Urbis provinciae*, die 11 dec., Velitris, 1860.

(5) Cf. *Breviarium chronologicum Pontificum et Conciliorum*, p. 362, 370, 392.

perstrinxit, ex quo nos, ait Boverius, pleraque, quae ad huius Historiae seriem ac veritatem conferunt, opportune decerpimus » (1). Patet ergo ab annalista Zacharia Boverio *Relationem* Marii adhibitam esse. Nemo tamen non mirabitur eum qui prae manibus hanc *Relationem* habebat, interpolationem Marci Ulyssiponensis non detegisse, siquidem saepe utramque ut duas auctoritates exhibet.

Neque Lucas Waddingus (2) neque Dominicus de Gubernatis a Sospitello (3) scripta Marii directe inspexisse videntur, secus interpolatorem Marci Ulyssiponensem, « quem tota Religionis diligentia invenire non potuit », detegere potuissent.

Scriptores modernos iam meminimus in descriptione codicum. Itaque haec sufficiant de traditione litteraria *Tertiae Relationis*.

2. - De ceteris operibus P. Marii.

a. - *Animadversiones in Opusculum Josephi Zarlino.*

Ipse Marius nos docet contra assertiones Josephi Zarlino asserentis Paulum Clodiensem et non Matthaëum a Bascio antesignanum Ordinis fuisse, responsa quaedam scripsisse, quaeque lucem publicam, si opus erat, videre poterant. Interim autem in *Tertia Relatione* summatim ea inseruit (4).

b. - *Biographiae PP. Eusebii ab Ancona et Bernardini a Monte Ulmo.*

Gesta horum illustrium virorum enarrandi desiderium semel et iterum Marius manifestavit (5). At forsitan, morte praeventus, optata prosequi non valuit. Utique Rufinus Senensis asserit biographias praeceptorum Patrum, quas operi suo inseruit, ex scriptis P. Marii desumptas esse (6). Attamen bonus ille vir deceptus est. Illae biographiae sunt opus P. Bernardini a Collepetraccio et partim P. Hieronymi a Monteflorum (7). Marius ipse nos docet se biographias non scribere, quia Bernardinus a Collepetraccio hoc munus susceperat (8). Tantum biographias Eusebii

(1) *Annales*, t. II, an. 1581, n. 56, p. 17.

(2) Cf. *Annales Minorum*, ed. cit., t. XVI, an. 1525, n. XVI, p. 238-239.

(3) Cf. *Orbis seraphicus*, t. I, *Praefatio*, Romae, 1682.

(4) Cf. *Cod. Venet.*, f. 80v, 85r. Codices L (fol. 72v) et N (fol. 65v) addunt haec responsa ad Patres provinciae Venetae directa esse.

(5) Cf. *ibid.*, f. 96v, 131rv.

(6) « Et acciò si sappia queste cose (la vita e costumi d'alcuni di quei primi Cappuccini) essere state scritte da Padri degni di fede, come cose vere e di propria vista, è da sapere che si sono cavate da gli scritti del Rev. do Padre frate Mario dal Mercato Saracino ». Cf. *Italia Franc.*, 1932, t. VII, p. 331.

(7) Cf. *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1908, t. XXIV, p. 25-27.

(8) Cf. *Cod. Venet.*, f. 97v, 129-130.

ab Ancona et Bernardini a Monte-Ulmo pollicitus est exarare, sed nescimus num promissum solverit necne. Certe ei tribuendae non sunt quas de his viris Rufinus edidit biographiae (1).

e. - *Quadragesimale compositum et conscriptum a Fr. Mario a Foro Saraceno Congregationis Capuccinorum Gndli. Anno Domini 1563. Piceni et Umbriae 1567.*

De existentia huius operis serio dubitari non licet, attamen usque modo frustra illud quaesivimus. Autographum, quod sermones quadragesimales et temporis Adventus aliosque varii generis comprehendebat, post mortem P. Marii in usum cessit eius familiae Fori Sarsinii (2), atque ineunte saeculo XIX apud se retinebat Fori Sarsinii presbyter Franciscus Antonius Fabrani. Is plurimum sermones existimabat atque elegantes, solidos, salutaribus monitis plenos esse affirmat (3).

d. - *Litterae ex Civitate Nova missae die 10 oct. an. 1551 ad matrem suam Antoniam Fuccioli.*

Apographon huius epistolae factum est ex ipso exemplari originali a Francisco Antonio Fabrani an. 1797. Obiectum epistolae sunt quaedam res familiares (4).

e. - *Epistola ad Marcum Antonium Colonna. Maceratae, 14 ian. 1572.*

His litteris, Maceratae die 14 ianuarii an. 1572 datis, Marius significat se superiorem Capuccinorum qui in classe pontificia militibus assistere debebant P. Anselmun a Tiano elegisse loco P. Antonii Hispani infirmitatibus detenti, atque sensus devotionis sui Ordinis erga Sedem Apostolicam ipsumque Marcum Antonium Colonna pandit.

Epistola servatur adhuc in archivo nobilis Familiae Colonna (5), sed iam publici iuris facta est (6).

f. - *Litterae filiationis seu confraternitatis, quibus Marius patrem, matrem, fratres et sorores bonorum operum Religionis participes efficit. Fori Sarsinii, die 9 sept. 1572.*

(1) Cf. *Italia Franc.*, 1932, t. VII, p. 617-626 (Bernardinus a Monte-Ulmo); 1935, t. X, p. 268-270 (Eusebius ab Ancona). Auctor biographiae P. Bernardini ab eo quaesivit utrum ei liceret studio logicae incumbere, quod de P. Mario, qui disciplinas philosophicas et theologicas studuerat, dici non potest. Biographia P. Eusebii parum consona nobis videtur his quae de eo dicturus erat Marius (cf. *cod. Venet.*, f. 96v).

(2) Cf. *Ragguaglio*, p. 48.

(3) Cf. *Specchio*, f. 15v-16r, 32r.

(4) Cf. *ibid.*, f. 6r-7r, 16r.

(5) *Carte sciolte*, n. 110 (antea *Arm. navale, carte sciolte*, n. 140).

(6) Cf. ROCCO DA CESINALE, O.M.CAP., *Storia delle missioni cappuccine*, t. I, p. 87-88, Parigi, 1867.

Josephus Diotalleui copiam harum litterarum ex originali autographo quo penes se habebat transcripsit an. 1730 atque in biographia P. Marii inseruit (1).

g. - *Praeconia in laudem Beatae Virginis Mariae et S. Mariae Magdalenae.*

Annalista noster Boverius in elogio, quod de Mario a Foro Sarsinio concinit, haec quoque refert: « Multa in sacrae Virginis Deiparae ac B. Mariae Magdalenae - quas praecipua religione colebat - laudem metro (quo plurimum praestabat) conscripsit » (2). Quinimmo bibliographi Ordinis asserunt haec poemata « valde pia et erudita » impressa esse Venetiis an. 1586 et alibi (3). Quae editiones, si revera exstiterunt, hodie penitus ignotae sunt. Indubium quippe est Marium laudes Dei Genetricis cecinisse, at ubinam hae laudes reperiuntur?

1) *Litaniae in honorem Virginis Mariae.* - Has Litanias composuisse Marium, cooperantibus Hieronymo a Pistorio aliisque Ordinis theologis, testatur Matthias Bellintani Salodiensis, qui asserit insuper ipsas suo tempore in conventibus nostris post Completorium recitari (4). Hae Litaniae inveniuntur in *Breviario chronologico* Claudii Bituricensis, O.M.Cap., ex quo editae sunt (5).

2) *Carmina in honorem B. Virginis.* - Hisce nostris temporibus duo carmina mariaana inventa sunt quae Mario tribuuntur. Etsi non aequa probabilitate talis attributio fiat, de utroque carmine separatim agemus.

α) [*Praeconium Virginis Mariae dolore discidii Filii sui oppressae*]. - Hoc carmen recognovimus in *codice Veneto Primae Marii Relationis*. Codex, quem iam descripsimus (6), plura carmina sacra continet, quorum auctores generatim ibi indicantur. Sub nomine P. Marii invenitur etiam unum carmen marianum, licet omni titulo destitutum.

Authentia carminis his suadetur argumentis: 1. scriba codicis operum P. Marii haud ignarus id nostro auctori tribuit; 2. forsitan illud est quod auctores Venetiis impressum esserunt; 3. ex

(1) Cf. *Ragguaglio*, p. 48-49.

(2) *Annales*, t. II, an. 1581, n. 56, p. 17. Cf. BENEDETTO PALOCCI DA SCANDRIGLIA, O.M.CAP., *Ristretti serafici ovvero Laconismo delle vite dell'Uomini più illustri in santità e dottrina de' FF. Min. Capuccini*, p. 171, 514, Roma, 1656; *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1889, t. V, p. 80.

(3) BERNARDUS A BONONIA, O. M. CAP., *op. cit.*, p. 182; JO. HYACINTHUS SBA-RALEA, O.M.CONV., *op. cit.*, p. 219.

(4) MATTIA BELLINTANI DA SALÒ, *Historia Capuccina* (*Archiv. Gen. Ord. Min. Cap.*, *Arm. A. II. 21*), t. II, fol. 129v.

(5) *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1900, t. XVI, p. 312-313.

(6) Cf. *supra*, p. 563 sq., ubi indicatur quoque incipit et explicit carminis.

examine interno liquet pietatem cogitationum versuumque elegantiam a proprietatibus Marii ut poëta, quas veteres scriptores ipsi concedunt, minime abhorrere.

Poëma in octonis versibus exaratum constat 99 strophis, quae 792 versus complent. In eo poëta extollit magnanimitatem Virginis consentientis ut Jesus pro salute humani generis sese imolet, pariterque describit summum dolorem, quo separatione Filii sui omnium dilectissimi tenera Mater afficiebatur.

3) [*Laudes Genitricis Dei Mariae*]. - Alterum carmen, quod pariter omni titulo destituitur, nuper editum est (1). Haec compositio poëtica ad genus quod lyricum appellant aptatur; dividitur in quatuor partes, quarum prior constat 23 strophis quaternariis et 92 versibus, secunda 13 strophis item quaternariis cum disticho et 54 versibus, tertia 14 strophis quaternariis cum disticho et 58 versibus, quarta denique 15 strophis: 1 hexastica, 1 tristicha, 13 quaternariis et 61 versibus (2). Descriptionem ab editore mutuumus, nos vero potius de quatuor diversis poësis quam de quatuor unius eiusdemque poëseos partibus (*canti*) agi opinamur (3).

Editio facta est ad fidem codicis, qui olim in conventu Capuccinorum Cinguli servabatur et nunc in Archivo Provinciae Picenae repositus est (4). Authenticitatem carminis editor nititur ostendere eo quod eius scriba seu scriptor idem est ac scriba *Relationis* de origine Congregationis Ord. Min. Capuccinorum, qui omni cum probabilitate asseri potest esse ipsum Marium (5). Re quidem vera similitudo fere perfecta scripturae negari non potest, at argumentum hoc non sufficere nemo est qui non videat. Rationes, quae authenticitatem prioris carminis suadent, potiores nobis videntur.

3) *Carmen in laudem S. Mariae Magdalenae*. - Parvum carmen, vulgo *sonetto*, in honorem S. Mariae Magdalenae concinnatum, reperitur in *codice Veneto* a nobis iam descripto (6). Rationes illud Mario tribuendi sunt sequentes: 1. probabiliter hoc parvum carmen una cum poëmate in honorem B. Virginis *codicis Veneti* sunt illa quae auctores nostri Venetiis edita esse affirmat; 2. insuper in ultima strophâ dicti mariani poëmatis videtur annuntiari ut opus eiusdem auctoris.

(1) Cf. NORBERTO MANCINI, *Un poemetto mariano di P. Mario Fabiani?*, in *Italia Franc.*, 1934, t. IX, p. 195-208.

(2) *Ibid.*, p. 196.

(3) Huius opinionis est etiam P. EDUARDUS ALENCONIENSIS (cf. *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1928, t. XLIV, p. 238).

(4) Cf. *supra*, p. 569; EDUARDUS AB ALENCONIO, *De primordiis*, p. 2, not. 4.

(5) NORBERTO MANCINI, *art. cit.*, p. 195 et p. 309.

(6) Cf. *supra*, p. 563.

Quia parvae molis est, utile ducimus heic illud edere ad fidem praefati codicis.

A SANTA MARIA MADALENA.

Una donna vidi io, anzi una stella
più lucente che'l sole in treccie d'oro
a pie del legno a noi largo tesoro
mostrarsi a un più bel sole fervente ancella.

Mi sembrava alla vista esser pur quella
che a guisa d'un bel eigno almo e canoro
mostra il canto divin, mostra il decoro
dell'alma sua gentil sempre sì bella.

Lieta mi volse il viso e come un velo
tolse da me, ch'io la conobbi, ond'io
le dissi acceso di celeste zelo:

O Madalena ogn'hor ben grata a Dio
deh' fa s'io t'amo ch'io ti veggia in cielo
e teco goda il Signor tuo e mio!

Scriptores Ordinis qui carmina P. Marii noverunt elegantiam simul ac pietatem versuum laudant, asserentes insuper eum laude poëtica claruisse (1).

III. - DE VALORE HISTORICO RELATIONUM P. MARI

Reliquum est, ut fidem auctoritatemve historicam scriptorum P. Marii breviter discutiamus. Et primo quidem opere pretium erit conceptum vel theoriam scientiarum historicarum, quantum ex his scriptis erui potest, declarare, ut inde eius praxis facilius patefiat.

Prima summaque historiae norma haec est ut, delectu omni et discrimine omisso, semper veritatem dicat, ut veritas sit initium, medium et finis scientiarum historicarum. Neque tanti aestimanda est elegantia verborum sermonisque ornatus, dummodo genus scribendi ne ita summissum et pedestre sit ut instar reptiles et vermes serpat. Quod maxime interest, est ut veritas nullo unquam modo, nulloque pacto rationibus humanis taceatur (2). Praeprimis ergo

(1) « Questo Padre aveva assai bella vena di fare e componer versi volgari, ornati di gran divotione ». RUFINO DA SIENA, in *Italia Franc.*, 1930, t. V, p. 353; RODULPHUS TOSSINIANENSIS, *op. cit.*, f. 201r; *Annales*, t. II, an. 1381, n. 56, p. 17; BENEDETTO PALOCCI DA SCANDRIGLIA, *op. cit.*, p. 171.

(2) « Fra l'altre parti che tiene l'istoria, la prima e principale è questa ch'ella non mai si tolga dalla verità, e questo sia il suo scopo, il suo mezzo et il suo fine, cioè di sempre dire il vero; e se l'altre leggiadrie et ornamenti

historicus vir necesse habet omni cura omnique studio et arte res narrandas pervestigare plurimumque errat qui absque serio examine et directa percontatione notitias accipit et scribit (1). Testes autem a quibus notitiae accipiuntur, debitam scientiam et veracitatem habere debent (2), eaque sola narratio historica admittit, quae a viro fide digno relata sunt (3). Tandem cum auctor historiae necessariam scientiam rei narrandae acquisiverit, sincere veritatem manifestare tenetur, neque opus est in hoc immorari ut argumentis et rationibus theoreticis ostendat verum esse quod affirmat (4).

Ex his omnibus, quae in examine uniuscuiusque *Relationis* de fontibus historicis attulimus, liquido constat, quam praeparationem Marius noster habuerit ad origines Ordinis conscribendos. Est igitur vel imprimis observandum quod is nullum non movit lapidem, ut totam solamque veritatem pervestigaret. Ipse fuerat priscorum Patrum discipulus et socius, ab ore Matthaei a Bascio primordia Ordinis didicerat, nihilo tamen minus ut lectores magni facerent historiam firmis ac certis criteriis exaratam, cooperatores adhibuit informatissimos omnique exceptione maiores, Eusebium scil. Anconitanum et Josephum a Colleamato (5). Magna

le mancano circa al modo del parlare, non importa più che tanto, pur che 'l dire non sia così basso che à guisa di lucerte o d'altri vermi che sotto terra si nascondano vada serpendo sopra il terreno con la bassezza sua, come anco non merita gran lode quel ragionamento che per la sua altezza e fuor di modo gravità perde quel soave e quel dolce che tanto diletta. Torno à dire che quantunque l'istoria non havesse quelli ornamenti che si bramano, havendo seco del continuo la verità, è forza ch'ella piaccia à quello che la vede e sente, e questa verità non mai (quando convien dirla) lasciar si deve per rispetti humani ne guardar in viso à qual si voglia persona, non dando però dal petto suo (chi scrive) e dalla sua penna il bando alla modestia, modestamente si parli e si dica il vero...». *Cod. Venet.*, f. 201v.

(1) « Et io di questo ... dovendoue scrivere e ponerlo in questa historia, e sapendo quanto erri chi agevolmente pone in carta le cose delle quali non sia più che informato bene, informatissimo, però per camminare col piede più saldo e tenere à punto il sentiero della verità, non è gran tempo ch'io mandai due de nostri frati à posta ... per certificarmi del vero ». *Ibid.*, f. 89rv.

(2) Cf. *ibid.*, f. 84rv.

(3) Cf. *ibid.*, f. 36v, 39r, 40r.

(4) « Non permettendo ella (la regola dell'istoria) che si facciano argomenti per mostrare che sia vero quel che si dice; ma dir si deve la pura et ignuda verità, allontanandosi dal parlare con suffisticarie e con quei dunque e quelli ergo, et ogn'altra termine logicale per mostrare la verità che si dice ». *Ibid.*, f. 38r-39v.

(5) « Quantunque io proprio dalla viva voce del Padre Fra Matteo da Basci, che fù il primo che pigliasse quest'habito, io habbia inteso tutta la cosa e ch'io sia stato discepolo di quei primi Padri che vennero a dar principio à questa Congregazione, e che da loro io sia stato ben informato, nondimeno per camminar più al sicuro volsi compagnar meco questi due testimoni (Eusebio d'Ancona e Giuseppe da Colleamato) così fedele e padri di tanta importanza nella

cum diligentia, quoties opus est, testes e quibus notitias traditas hauriebat eorumque qualitates sive morales sive intellectuales pandit, ut quodlibet auferatur dubium (1). Immo aliquando confratres ex professo iniungebat, ut eum de re aliqua certiorem facerent, quam scribere cupiebat (2). Et si, his non obstantibus, de veritate conscius non erat, res silentio praeteribat (3).

Praeterea Marius habebat illam quasi innatam curiositatem, quae in scientiis historicis excolendis adeo utilis et necessaria est. Res diligenter sciscitabatur, et ne oblivione perirent, statim ac audiebat vel videbat, eas scriptis exarabat (4). Mense iulio an. 1579, Anconae degens, hoc effecit ut publicus notarius transumptum authenticum *Litterarum S. Paenitentiariae* (18 maii an. 1526) et Bullae *Religionis zelus* (3 iulii an. 1528) confecerit. Quod transumptum - deperditis originalibus - servatur hodie in Archivo nostro generali (5).

De sinceritate narrationis P. Marii prolixius disserere supervacaneum est. Ipsemet cognitum apprehensumque habebat, hae sinceritate et obiectiva impartialitate deficiente, totum aedificium historicum funditus everti. Ideoque solemniter affirmat se verum dicere ac narrationem inconcussis fulciri fundamentis (6), nullaque humana ratione vel praeoccupatis opinionibus allici ad veritatem detegendam aut tegendam (7). Porro si quis sinceritatem denegat, patienter hanc iniuriam sustinebit (8).

Religione nostra, che ben sapevano la cosa di quel nostro principio à punto com'ell'era passata. Volsi usar quella diligenza, acciò quelli che leggeranno ò sentiranno quel ch'io descrivo, più credito habbiano à dare à quanto io dico, et in più conto tenghino quest'historia, la quale vi s'appresenta innanzi con tutta quella verità che richiede il dire historico ». *Ibid.*, f. 4rv. Cf. *Descrizione*, p. 5.

(1) Cf. *Cod. Venet.*, f. 56v, 57r, 63v, 80v, 84r, 90r, 95r, 127v, 135v, 148r, 149r, 179v, 185v, 203v, 204v, 211r, 218r, 234v, 252v.

(2) Cf. *ibid.*, f. 89rv et *supra*, p. 590, nota 1.

(3) « Questo non ardirò io già mai di dire, perchè non l'ho mai trovato, ne credo che alcuno trovato l'abbia ». *Cod. Venet.*, f. 35v. Fol. 41r: « Questo non sapendo io di certo, non oso dirlo ». Fol. 81r: « Io nol seppi e così nol dico ».

(4) « Tutte queste cose mi raccontò con la viva voce il Padre fra Giovanni da Terranova, et io le posi in scritto, tuttavia che la memoria quale Dio m'ha dato promettesse per sempre tenerle ben serate nel suo armario » (*ibid.*, f. 179v). « Et io più volte dalle voci e lingue loro intesi tale opinione e dichiarazione, e per meglio ramentarmene oprai che la penna ne tenesse conto, e così come quei Padri dicevano la descrivo, e sono queste le loro quasi formate parole » (f. 104r). Cf. *ibid.*, f. 54r, 215v.

(5) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 27, not. 3, p. 49, not. 1.

(6) Cf. *Cod. Venet.*, f. 81v, 138v, etc.

(7) « E quindi nasce che così assolutamente e senza nebbi di dubbio io ragiono perchè sò che io dico il vero, e per dirlo non mi muove affettione alcuna o altra passione ». *Ibid.*, f. 57r. Cf. f. 115v.

(8) *Cod. Venet.*, f. 84v.

Iam vidimus Marium alienam a scientiis historicis declarare exquisitam illam rationem dicendi flosculis exornatissimam, quae magis imaginationem mulcet quam intellectum illustrat. Nemo autem cogitet eum inconcinne scribere vel genus quoddam lene et mediocre scribendi colere. Certe, ut claritati ac simplicitati consulat, modum dicendi tumidum, obscurum, putidum devitat (1), sed rhetorum morem secutus, accuratum profluentemque sermonem praediligit. Haec exquisita dicendi perfectio P. Marii a coaevis agnita et laudata est (2).

Ab erroribus historicis Marium non absolvimus, sed nimis iniustum est, ut aliqui scriptores recentes volunt (3), ei bonam fidem, sinceritatem, veritatis amorem denegare et nescio quam proclivitatem seu propensionem in theorias ioachimitas et spirituales ei tribuere, quae serenam originiis Ordinis cognitionem impedit quaeque causa est cur Marius influxum Matthaei a Bascio praeter modum extollat aliasque minimi momenti quaestiones, v. gr. capuceii oblongi, solute pertractet.

Profecto in primo libro *Tertiae Relationis* diffuse disseritur de amissione capuceii oblongi tempore Joannis XXII, sed si haec quaestio parvi hodie aestimatur non ita tunc temporis. Ceterum quaestio pacate, absque ira et studio, ut virum historicum decet, ibi evolvitur. Illi vero, qui tempore praefati Pontificis omnimodam Christi et Apostolorum paupertatem propugnabant, opinionem sustinebant « distortam et profanam » (4), et Gulielmus Ockham, qui hac occasione adversus Pontificis sententiam tractatum scripsit, vituperatur (5). Carpuntur ii, qui amo-

(1) « Mi sforzarò nel dire di esser chiaro e che aperto sia quant'io scrivo e discuoopro, non mi curando per far questo di usar la strettezza di quelle regole che ricerca il genere di questi componimenti, m'offerò di fuggir l'affettazione, il parlar gonfio, il dire intricato, quanto più mi sia possibile; basta che sarà in guisa ch'ogn'uno per semplice che sia lo potrà agevolmente intendere ». *Ibid.*, f. 4v.

(2) BERNARDINO DA COLPETRAZZO, *op. cit.*, p. 6. In introductione quam Hieronymus a Mont-florum operi *De vitis Capuccinorum* praemisit sic legitur: « Et benchè io sapessi il Padre frate Mario de Mercato Saracini di buona memoria, prima di me... haver con bellissimo stile tessuta un'istoria nella quale racconta l'origine e progresso di essa Congregatione ». Cf. *Anal. Ord. Min. Cap.*, 1908, t. XXIV, p. 26.

(3) Cf. FREDEGANDO D'ANVERSA, O.M.CAP., *La vita dei primi Frati Minori Cappuccini secondo la Cronaca di Bernardino da Colpetrazzo*, in *Liber Memorialis*, p. 134, 136, Romae, 1928; GIANGRISOSTOMO DA CITTADELLA, O.M.CAP., *P. Paolo Barbieri da Chioggia e la Confraternita del Santissimo Crocifisso*, p. 24, 35, Padova, 1933. Vide *Collect. Franc.*, 1936, t. VI, p. 425-426.

(4) Cf. *Cod. Venet.*, f. 31rv.

(5) Cf. *ibid.*, f. 32r. Haec vituperatio eo magis notanda est quod compiler operis *Firmamentum trium Ordinum*, quo Marius utitur, illum tractatum laudibus extollit. Cf. *Speculum Minorum seu Firmamentum trium Ordinum*, p. I, f. 35b, p. III, f. 87r-98v.

rem scientiae cultui paupertatis et regularis observantiae anteponunt, sed Frates docti et litterarum studiosi ut decus Ordinis habendi sunt (1). Seraphicus Doctor Bonaventura laudatur quia plurimum in reformatione Ordinis sui aevi adlaboravit (2). In hac *Tertia Relatione* P. Marius extollit plurimumque laudat altissimam paupertatem, immo asserere non dubitat sub aliquo respectu primos Capuccinos austerius vixisse quam socios S. Francisci (3). Attamen magis quam paupertas aestimandae sunt vita interior, oratio, charitas, humilitas, oboedientia erga superiores et S. Sedem (4). Veneratio et laudes, quas erga Bernardinum ab Asti auctor ostendit, eiusdem opinionem vitae religiosae admittere suadent (5); evolutioni in aedificiis, vestimentis, etc. non opponitur (6). Neque silentio praetereundum est quod Marius qui de vita priscorum Patrum disserens saepissime exemplum S. Patris, verba Regulae, Expositiones Summorum Pontificum et Doctorum Ordinis in medium profert, nec semel quidem de *Testamento* loquitur.

Quomodo haec omnia aliaque sexcenta quae longum esset heic afferre cum theoriis ioachimitis cohaereant, nos plane fugit. Recolantur etiam quae de eius regimine diximus (7).

Arguitur quoque Marius, quia influxum Matthaei a Bascio in primordia Ordinis Capuccinorum exaggerat (8). Attamen huius assertionis probatio difficile ex scriptis Marii eruitur. Utique affirmat et probat Matthaeum antesignanum Ordinis fuisse, sed ea solum ratione, quia omnium primus illo aevo sic dictam veram habitus S. Francisci formam adinvenit (9). Matthaeus numquam de nova Congregatione instituenda cogitavit neque ad id efficiendum facultatem petiit vel obtinuit (10). Ceterum defectus Matthaei, cuius tamen vita sancta laudatur, minime silentio praetereuntur (11). Verus fundator novae Congregationis exstitit Seraphicus Pater Franciscus (12), licet in ea multum ad-

(1) Cf. *ibid.*, f. 33r, 35r.

(2) *Ibid.*, f. 37v-38r.

(3) *Ibid.*, f. 207r-208v.

(4) *Ibid.*, f. 112 sq, 109r, 127v-128r.

(5) *Ibid.*, f. 210v, 214-218.

(6) *Ibid.*, f. 107, 110, 180, etc.

(7) Vide *supra*, p. 558 sg.

(8) Cf. FREGGANDO D'ANVERSA, *loc. cit.*; GIANGRISOSTOMO DA CITTADELLA, *loc. cit.*

(9) Passim.

(10) Cf. *Cod. Venet.*, f. 49rv, 59r, 65v, 71r, 86v.

(11) *Ibid.*, f. 90v, 99r.

(12) *Ibid.*, f. 66rv.

lavoraverint Ludovicus Forosempronensis (1) et Bernardinus Astensis (2).

Paucis etiam commemoranda est controversia, quam contra *Primam* Marii *Relationem* movit Josephus Zarlino. Is enim originem Congregationis Capuccinae totis viribus repetere conatur a Paulo Clodiensi atque narrationem Marii de hac re omni fundamento destitui ac erroneam esse affirmat, quia nihil cum certitudine de P. Paulo audivit vel cognovit (3). Has accusationes ipsemet Marius in *Tertia Relatione* omni qua par est reverentia refellit et omnino asserit quod quicumque primordia Ordinis Capuccinorum aliter refert, sive Capuccinus sive saecularis est, multum a veritate errat, quandoquidem omnia quae ipse enarrat vel propriis oculis vidit vel a testibus veracibus debitaque scientia praeditis accepit (4). Nullum igitur dubium, quin assertiones P. Marii de primordiis nostri Ordinis pluris faciendae sunt quam Josephi Zarlino informationes (5), qui eas solummodo a patre suo et ab avo Clodiae commorantibus accepisse testatur.

Ex his quae usque modo dicta sunt, unusquisque fidem historicam quam Marius meretur, diiudicare potest. Nostra quippe sententia, opinio quam de scientiis historicis manifestat, parum communis erat suo tempore; iudicio critico satis acuto pollet, rationes suis momentis ponderat, singulasque affirmationes quodammodo obiectivis testimoniis roborat. Sed forsitan nimium est apparatus criticum, qui in his operibus hodie desideratur, ab eo exigere (6). Neque dicere volumus quaecumque Marius retulit pro certa habenda esse, siquidem aliqui deprehenduntur errores praesertim in supputatione temporis. At testimonium eius in iis quae ad vitam praeceptorum Capuccinorum spectant vel primordia Ordinis attinent, plurimi faciendum est. Cum textus integri – quod proxime futurum esse speramus – ob oculos haberi possint, haec omnia novis auctoritatibus confirmabuntur.

Assisii

P. MELCHIOR A POBLADURA
O. M. CAP.

(1) *Ibid.*, f. 123rv, 245v.

(2) *Ibid.*, f. 210v, 214-217, etc.

(3) Cf. GIOSEFFO ZARLINO, *Informatione ... intorno la origine della Congregazione de i Reverendi Frati Capucini*, f. 26v, 31r.

(4) Cf. *Cod. Venet.*, f. 78v ss.

(5) Cf. RODULPHUS TOSSINIANENSIS, *op. cit.*, f. 158; BERNARDINO DA COLPETRAZZO, *op. cit.*, p. 325-326; EDUARDUS ALENCONIENSIS, *De primordiis*, p. 15, 34 sq.; GERARDO DA VILLAFRANCA, O.M.CAP., *P. Matteo da Bascio e P. Paolo da Chioggia*, p. II-V, Chioggia, 1913; GIANGRISOSTOMO DA CITTADELLA, *op. cit.*, p. 24 sq.

(6) Cf. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *Tribulationes Ord. FF. Min. Cap. primis annis Pontificatus Pauli III*, p. III, Romae, 1914.

